



## Early Journal Content on JSTOR, Free to Anyone in the World

This article is one of nearly 500,000 scholarly works digitized and made freely available to everyone in the world by JSTOR.

Known as the Early Journal Content, this set of works include research articles, news, letters, and other writings published in more than 200 of the oldest leading academic journals. The works date from the mid-seventeenth to the early twentieth centuries.

We encourage people to read and share the Early Journal Content openly and to tell others that this resource exists. People may post this content online or redistribute in any way for non-commercial purposes.

Read more about Early Journal Content at <http://about.jstor.org/participate-jstor/individuals/early-journal-content>.

JSTOR is a digital library of academic journals, books, and primary source objects. JSTOR helps people discover, use, and build upon a wide range of content through a powerful research and teaching platform, and preserves this content for future generations. JSTOR is part of ITHAKA, a not-for-profit organization that also includes Ithaka S+R and Portico. For more information about JSTOR, please contact [support@jstor.org](mailto:support@jstor.org).

## TULLIANA.



Nuper orationes *in Verrem* de industria tractanti pauca mihi in mentem venerunt eius generis, quae evulgare praestaret quam premere. Ea igitur nunc publici iuris facio, sic rem agens, ut quae ad librum Accusationis quartum pertinerent, quae ad ceteros libros, quae palaeographici argumenti essent, ea sic trifariam coniungerem.

Lectores autem eos mihi proposui, qui editione Orelliana altera<sup>1</sup> probe uterentur nec tamen alium quemquam librum adhiberent. Comparavi igitur textus eos quos haec editio non supervacuos reddidit, Halmii<sup>2</sup> Klotzique<sup>3</sup>, annotationes Zumptii<sup>4</sup>, porro Bakii<sup>5</sup> Madvigiique<sup>6</sup> binas et singulas Klotzii<sup>7</sup>. Nec, puto, ubi libros hosce nominavi tantum

---

<sup>1</sup>) Amstelod. Ioh. Müller. Voluminis II Pars I. 1854. — p. 103—461, Verrinarum libri VII. Recogn. C. A. Jordan.

<sup>2</sup>) Sammlg. Gr. u. Lat. Schriftsteller mit deutschen Anmerkungen, hrsg. von M. Haupt u. H. Sauppe. Berlin, Weidmann. — Ciceros ausgewählte Reden, erklärt von Karl Halm, 2<sup>es</sup> Bändchen: die Rede gegen Q. Caecilius u. der Anklagerede gegen C. Verres 4<sup>es</sup> u. 5<sup>es</sup> Buch. 2<sup>e</sup> Auflage. 1855. (1<sup>e</sup> Aufl. 1852; hae editiones facile nec sine damno confunduntur).

<sup>3</sup>) In editione Teubneriana anni 1854. Anni 1852 est ea quam adducit Jordanus, sed ea vel fere eadem est vel omnino. Pagina saltem duplex illa, in qua titulus est cum anni numero 1854, seorsim praefixa est.

<sup>4</sup>) M. T. C. Verrinarum libri VII. Rec. C. T. Zumpt. Berol. Dümmler. 1831.

<sup>5</sup>) Bibl. Crit. Nova, Lugd. B., Luchtmans. V. I. 1830; p. 1—56. Madvigii ep. ad Orellium, censuram scr. I. Bake. — Schol. Hyp. Lugd. B., Brill. IV. 1852. p. 184—244.

<sup>6</sup>) Ep. ad Orell. de Verrinarum libris II extremis emendandis. Hauniae, Reitzel, 1828. — Opusc. Acad. (priora). Hauniae, Gyldendal, 1834; p. 323—374. X. De locis aliquot Ciceronis orationis Verrinarum diss. crit.

<sup>7</sup>) Seebodes (Jahns) N. Jahrbücher f. Philol. u. Paedag. Leipz. Teubner. 1838. Jhrg. VIII. Bd. 22, Hft 2. M. T. C. oratt. selectae XV. rec. Orell. 1836. Censuram scr. R. Klotz. p. 131—144. Das 4<sup>te</sup> Buch der Anklage des C. Verres.

nec locos adscripti, ipsos locos inspicere operae pretium lectori erit nisi accuratissimo vel perquam erudito. Unum Halmii libellum<sup>8</sup> adhibere potui, dum haec recognoscerem, alterum Halmii<sup>9</sup> Iordanique unum<sup>10</sup> etiamnunc frustra exspecto. Praeterea liberaliter concessum habui usum codicis Leidensis Perizoniani 12 in folio, qui continet *Verrinas* excepto Libro Accusationis primo a § 111 inde, porro Libris secundo ac tertio. Is Zumptio Orellioque audit Leid., Iordano in altera Orelliana Ld.; lectiones autem eas, quas veras esse praesto, signavi Ldk. ubi id prodesse poterat. De hoc codice luculenter egit Bakius<sup>11</sup>, eodemque et ipse multum usus est, et Orellium, Baiterum, Iordanum collationibus suis adiuvit.

## I.

IV. § 6. *Nuper homines nobiles huius modi, iudices, . . . . vidimus . . . : qui tamen signa atque ornamenta sua cuique reddebant, non ablata ex urbibus sociorum atque amicorum quadridui causa per simulationem aedilitatis domum deinde atque ad suas villas auferebant.*

Fritschius Halmiusque et olim Lambinus offenderunt in locutione *quadridui causa*. Atque ille haud improbante Halmio coniecit *in quadriduum, per causam aedilitatis*. Locutionem *per causam* Fritschius defendit allata oratione Ciceronis *de domo sua* V. 15; ipsam coniecturam Halmius ita, ut dicat in parte optimorum codicum *causam* esse. At Halmius meliora adducere solet.

Codices, qui *quadridui causam* habent, secundum Iordanum sunt »R 3 V (in V tamen *m* Brunnio punctata videtur).“ Patet de Vaticano nil constare. Porro sigla R 3 continet etiam Leidensem codicem, at is totam periodi partem *non ablata* —

<sup>8</sup>) Zur Handschriftenkunde der Ciceronischen Schriften, München 1850. Editorem nullum novi, neque in meo exemplari quisquam apparet.

<sup>9</sup>) Ueber die Hss. der Verr. Reden des Cic. (Gel. Anzeigen d. bayer. Akad. d. Wiss. 1853. n<sup>o</sup>. 29—34).

<sup>10</sup>) De Codd. scriptis Libr. IV et V. orationum Verrinarum (Halberst. 1850. Lips., Winter).

<sup>11</sup>) Bibl. Crit. Nova, V. 1. p. 10—13.

*auferebant* omittit; ob similes credo terminationes verborum *reddebant* et *auferebant* scriba, dum prius pingit, in altero se versari putavit (Ldk.). Guelferbytanus alter cum Leidensi consentire solet, neque de eo quidquam ex hac periodo adducitur praeter nostram lectionem, ita ut suspicari liceat, etiam in isto libro lacunam esse eandem. Non obstat, quod Zumptius ad h. l. ex illo etiam codice *causam* adduxit, si recte eum intelligo; nempe is nil diserte tradit de hoc codice, sed ut Iordanus in R 5 universe, sic ille in *Guelf. Havn.* hanc lectionem esse dicit. Quod facile erratum esse potest pro *Guelf. 1 Havn.*; ego et ipsum de G 2 errasse puto eadem prorsus ratione, qua Iordanus de Leidensi. Porro *causa* in Regio scribi *ca* vel *ca* suspicor, *causam* autem *cā* vel *cā* sive *cā*, ita ut undique errores nasci possint.

Homines nobiles, quos dicit orator, intelligendi sunt C. Claudius fortasse, porro Q. Hortensius, C. Antonius, certe ii, qui ratione ea quam laudat, aedilitatem revera gessissent. Itaque isti etiam, qui horum innocentiam imitati non sunt, sese aediles esse dicentes non aedilitatem simularunt, falso affectarunt, nam gerebant eam. Simularunt aedilitatem sibi *causam* esse, cur signa peterent auferrentque, erat autem cupiditas.

Equidem lego *aedilitatis causa, per simulationem quadridui*, transpositione haud ita audaci. Sic aedilitas causa ablationis dicitur fuisse; erat causa saltem proxima. *Deinde* iam indicat tempus post peractum quadriduum; non amplius, ut in lectione vulgata, tempus post aedilitatem peractam. Simulabant denique isti, se auferre signa in quadriduum, sed eo elapso domum porro et ad villas suas auferebant.

§ 7. *Haec omnia quae dixi signa, iudices, ab Heio e sacro Verres abstulit: nullum, inquam, horum reliquit, neque aliud ullum tamen praeter unum pervetus ligneum, Bonam Fortunam, ut opinor; eam iste habere domi suae noluit.*

Recte Schützius<sup>12</sup> suasit *neque aliud ullum praeter unum tamen*, quod immerito spreverunt maiorum minorumque editionum

<sup>12</sup>) In Orellii editione prima, Vol. II. 1. Tur. 1826, ad h. l.

recentiorum critici, Zumptius Iordanusque et cum Klotzio Halmius. Hotomannus<sup>13</sup> tamen, Zumptius, Halmius in hoc loco offenderunt, ut eorum annotationes demonstrant. Vulgata nempe, saltem si Zumptii annotationem sequimur, id significaret: *etsi* omnia signa abstulit, nolite mirari, eum non plura reliquisse quam unum.

Codices nil iuvant, nam *tamen* omissum Ldk. non eius auctoritatis est, ut ob solum hunc librum abiiciamus coniunctionem. Eadem saepius abundat, ut *tamen nihilominus* est *Cluent.* § 76, *Fam.* XIII. xv. 2. Locus mox sequens § 22: *At cuius hominis! clarissimi ac potentissimi; qui tamen cum consul fuisset, condemnatus est*, sic est explicandus, ut *tamen* opponatur verbis *clarissimi ac potentissimi*. At si hoc verum, verba *cum consul fuisset* abundant. Credo, neque alienus a suspicione sum, hic quoque *tamen* post *fuisset* esse collocandum. Transpositiones huiuscemodi in codicibus deterioribus occurrere, post Madvigium nemo dubitat: proxime sequentes §§ duae v. c. duo item exempla praebent. In optimis, Regio saltem, et rariores illae sunt et difficiliore ad detegendum, quoniam nulli meliores sunt libri, quibus comparatis fraus appareat.

§ 23. *Verum haec civitas isti praedoni ac piratae Siciliensi Phaselis fuit.*

Apparet e superioribus, quid Cicero velit. *Phaselis . . . non fuerat urbs antea Cilicum atque praedonum: Lycii illam, Graeci homines, incolebant. Sed . . . adsciverunt sibi illud oppidum piratae primo commercio, deinde etiam societate*, § 21. Iam Verres in Messana prorsus simile quid commisit: *Mamertina civitas improba antea non erat*, verum facta est Verri socia et receptrix furtorum, hanc civitatem iste praedo Phaselidis loco habuit.

Verres apte dici potest *pirata Siciliensis*, i. e. pirata, qui ita praedatur, ut eius causa Siciliam alicunde attingat. At Cicero hoc nomine ipsum a ceteris piratis distinxisset, quod minime agit, immo huc, ut par est, per totam hanc orationis partem

---

<sup>13</sup>) In Graeviana, Amst. Blaeu 1695, ad h. l.

spectat, ut Verrem piratis quam simillimum proponat. *Siciliensi* igitur, *piratae* illustrans, sententiae nocet.

Messana porro, id quod unusquisque videt, non est Phaselis. Fuit Phaselidis loco, fuit tamquam Phaselis, fuit Phaselidi quam simillima, omnia haec concedo; fuit illa altera Phaselis, fuit, verbo dicam, quasi quaedam in Sicilia Phaselis. At haec, opinor, Cicero ipse dixit. Nemo certe in levissima mutatione offendet aut minus accurate dictum censebit quod ab ipso oratore profectum arbitror: *Verum haec civitas isti praedoni ac piratae Siciliensis Phaselis fuit.* Librarii, quod saepe in Verriarum codicibus factum est, adiectivi casum accommodarunt ad casum substantivi non aptissimi, sed proxime antecedentis.

§ 29. *Quid? a Phylarcho Centuripino, homine locuplete ac nobili, phaleras pulcherrime factas, quae regis Hieronis fuisse dicuntur, utrum tandem abstulisti an emisti? . . . Dixit Phylarchus pro testimonio . . . se deprehensum negare non potuisse: ita ab se invito phaleras ablatas gratis.*

Sic recte Iordanus scripsit, etiam adversus codices, quorum scripturas sic recenset »*phaleras ablatas* Martianus Capella »p. 515. Grot. (p. 444. Kopp.) et Lag. 29 (de quo Z. tacet): »*phalerasublatas* R, addita *s* super *ra* (manu secunda, ut »Burs. testatur); *phaleras sublatas* G 3; *ablatas phal.* dett. O; »*sublatas phal.* Lambinus." Leidensis lectionem, si tanti est, praestare possum.

Iordanus scilicet ubique, quantum vidi, discrimen inter *ablatas* et *sublatas* recte servat, ita ut illud verbo indicasse sufficiat, et confirmasse loco uno alteroque. Nempe *auferre* usurpari solet a Cicerone, ubi Verrem dicit alicui quid eripuisse. Id porro ab istiusmodi misero *ablatum* est, sed a Verre *sublatum*. Contra *sublatum* aliquid esse ex loco quodam dici solet; in hac autem locutione etiam *ablatum* sat frequens est.

Ultimum quod dixi exemplis illustrare nil attinet. Priora autem, quae fere legitima sunt, prae ceteris locis luculenter apparent ex hisce. Legitur § 32: *Memini Pamphilum Lilybaetanum . . . mihi narrare, cum iste ab sese hydriam Boëthi manu factam praeclaro opere et grandi pondere per potestatem abstulisset, se sane tristem et conturbatum domum revertis-*

*se, quod vas eius modi . . a se esset ablatum. Cum sederem, inquit, domi tristis, accurrit Venerius: iubet me scyphos sigillatos ad praetorem statim afferre. . . Incipio queri me nihil habiturum, quod alicuius esset pretii, si etiam scyphi essent ablati. Tum illi (Cibyrateae), ubi me conturbatum vident: »Quid vis »nobis dare, ut isti abs te ne auferantur?» Simillimus est locus § 37: Tu a M. Caelio, equite Romano, lectissimo adolescente, quae voluisti, Lilybaei abstulisti: tu C. Cacurii . . suppellectilem omnem auferre non dubitasti: tu maximam et pulcherrimam mensam citream a Q. Lutatio Diodoro . . Lilybaei abstulisti. . . . . Gaudeo etiam, si quid ab eo (Clodio) abstulisti, et abs te nihil rectius factum esse dico. Ab Lysone vero Lilybaetano . . Apollinis signum ablatum certe non oportuit.*

Satis opinor constat, quid sit *auferre* ab aliquo, et simul, eum *damnum* facere, a quo quid *ablatum* sit. Non ita saepe a Cicerone describitur ille, a quo quid sit *sublatum*, i. e. ille qui *sustulit*. Est tamen § 109: *Hoc dico, hanc ipsam Cere-rem . . a C. Verre ex suis templis ac sedibus esse sublatam.* Eiusdem generis est § 7, nisi quod locus sit etiam *luculentior*: *Quae dico signa, antequam abs te sublata sunt, Messanam cum imperio nemo venit quin viderit. Hic obiter moneo Baiteri viseri recipiendum esse, quod unus Halmius in recentissima Weidmanniana editione fecit, comparatis §§ 5 f. 122. 127. 128. 130. 132. 135, quibus addo §§ 4. 74.*

Superiora autem nemo sic accipere velit, quasi *negarim* locos esse nonnullos, ubi *Verres sustulisse* aliquid dicatur eorum, quae eripuit, quin *ab aliquo sustulisse*. Sunt ii rariores, sed occurrunt, v. c. § 84: *quid? a Tyndaritanis non eiusdem Scipionis beneficio positum simulacrum Mercurii, pulcherrime factum, sustulisti? . . . Audistis nuper dicere legatos Tyndaritanos, . . Mercurium . . huius vi, scelere imperioque esse sublatum, et § 88: Est pecuniarum captarum, quod signum ab sociis pecuniae magnae sustulit. Ceterum in locis sex, quos apposui, neque Leidensis variat, neque Iordani codices.*

§ 61. *Nam reges Syriae, regis Antiochi filios pueros, scitis Romae nuper fuisse.*

Lectori hoc loco datur optio, utrum id quod dicam pinguis

esse positum, putet ipsi Ciceroni tribuendum esse an librariis. *Filios pueros* recte dici nil est quod dubitemus, id tamen raro ibi locum habet, ubi Graeci non addidissent *ὄντας* sive *ὄντας ἔρι*. Verum elegantius orator poterat *reges Syriae pueros, regis Antiochi filios*.

In codd. turbatum est. Regius apud Iordanum habet *antiochiae illos pueros*, quod natum censeo ex *antiochie illos*, idque ex ANTIUCHIFILLOS sive ANTIUCHIFILIOS, ut v. c. *rosaeartus* in Regio est pro *rosa fartus* V § 27. Nil igitur praesidii est in lectione apographi Leidensis: *Reges anthiocie illos pueros* (Ldk.).

Facillimum est demonstratu, qui possit vocabulum *pueros* in eam sedem transpositum esse, ubi nunc legatur. Scilicet qui *illos* legebat, necessario requirebat substantivum, et *pueros* e vicinia facili negotio transponebat. Quod non omnia expedit, si certum esset vulgatam lectionem *filios* e fonte quodam praeter Regium codicem fluxisse et aliud quid esse, quam corrupti *illos* emendationem haud ita difficilem. At de istius modi fonte, qui saltem non ipse derivatus sit ex Regio codice, nil diserte traditur; neque hoc rem conficit, quod silentium Graevii, Orellii, Zumptii, Iordani ostendere videtur, nempe in reliquis codicibus esse *filios*, etiam in Guelferbytanis et in Hittorpii Erfurtensi. Nam e Guelferbytanis alter, G 2, cum Leidensi conspirare solet, et neuter adversus Regium est audiendus, si uterque ex illo fluxit: id autem vero simillimum est, ne plura dicam. Supersunt Erfurtensis et deteriores, quorum coniuncta auctoritas prae Regio levis esset, etiamsi de ea constaret: nunc incerti haeremus.

Iam si quaerimus, quid ipse Cicero scripserit, necessario id sequemur, quod in Regio non est quidem sed esse manifesto debebat. Id *illos* esse non credo, propter facilitatem corruptelae eius, quam supra exposui. Non crediderunt certo nuperi editores, Halmius, Klotzius, Iordanus, qui Regii lectiones cognitae habuerunt. Bakius non credet, qui observavit<sup>14</sup>, *ille* tum demum praeponi, si explicatio subiicitur, nisi haec de solis nominibus propriis dicta voluerit. Est igi-

<sup>14</sup>) Schol. Hyp. IV. p. 195, ad Verr. II. n. 5; cf. p. 215, ad Verr. IV n. 4.



tur *filios* a Cicerone profectum, quod postquam in *illos* abiit, scriba vel Regii codicis vel superioris cuiusdam libri] *pueros* transposuit.

Sic qui ratiocinatur, pauca assumit non prorsus certa, et eo premitur maxime, quod lectiones G 1 2 E dt. ad h. l. ignorantur. Videat igitur unusquisque, utrum haec graviora ducat an defectum elegantiae et concinnitatis in eo quod nunc legitur, quod altero membro duo vocabula exhibet, altero quatuor; id autem quam grave sit, Madvigius monuit<sup>15</sup>; atque hoc potius ducens suadeo ut legatur: *Nam reges Syriae pueros, regis Antiochi filios, scitis Romae nuper fuisse.*

§ 62. *Erat etiam vas vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata manubrio aureo, de qua . . . Q. Minucium dicere audistis.*

Agit Cicero de vasis Antiochi Asiatici, quem Verres expilarat, cum ille iter faciens Syracusas venisset. Id autem ait orator, *vas* esse aliquod, nempe *trullam*. Quod ipsum vix opus erat ut adderet, nam quis Romanus nesciebat, quid id esset, *trulla*? Nec facile quis nesciebat, *trullam*, si accurate loquamur, *vas* non esse.

*Manubrio* sine praepositione legitur in codicibus bonis, R 3 E apud Iordanum. Deteriores *cum* praeponunt. Hoc dissuadet Madvigius<sup>16</sup>: »ne Latine quidem, certe non Ciceroniane ita »dici censeo, de ea re, quae non aliam extra addita comitetur, »sed eius pars sit.” At *manubrium aureum* pars non est *vasis vinarii ex una gemma pergrandi*, neque *trullae excavatae*; pars est vasis integri, *trullae* sensu latiore, sed id nunc non agitur. Quod iam Handius observavit scribens<sup>17</sup>: »At *manubrium aureum* ipsum erat adiectum *trullae e gemma factae*.” Zumptius Halmiusque, qui cum Madvigio stant, id praeterviderunt, opinor.

<sup>15</sup>) Ep. ad Or. p. 20 (ad Verr. IV. LX. 157): »aequalitas membrorum, quo » argumeto et postea utemur et saepe in Ciceronis scriptis utendum est.” Cf. ibid. p. 21 n., 92, 130 n.

<sup>16</sup>) Ep. ad Or. p. 29.

<sup>17</sup>) Tursell. II. 144.

Intelligere mihi videor, quid sit *trulla*, *manubrio aureo*. Sed *trulla excavata manubrio aureo* ea est, quam quis excavavit manubrio aureo, id autem absonum.

Venit in mentem, an legendum sit: *Erat etiam trulla excavata ex una gemma pergrandi, manubrio aureo*, eiectionis vocabulis *vas vinarium*. Sic lucratur, ut *ex una gemma* habeat unde pendeat, nempe ab *excavata*. Nam *vas vinarium ex una gemma pergrandi* dici quidem potest sed non solet. Contra si quis unice *trulla* transponeret ut volui, sed immotum servaret *excavata* nae is ex sequente dilemmate sese non expediret. Nempe *excavata* si ablativus est, perit concinnitas propter duplex epitheton substantivi *gemma*; si nominativus, molestissima nascitur ambiguitas.

Origo corruptelae aperta est. Suprascriptis aliquis *vas vinarium* ad vocabulum *trulla* illustrandum. Duo haec verba per alterum librarium in textum irrepserunt. Idem hic igitur vel tertius aliquis ferre non potuit, ut *vas vinarium, trulla* sic iuncta legerentur: hic vocabula quae indicavi transposuit. Tertius denique vel quartus errore sive consulto *cum* sustulit; ex huius libro fluxere Regius codex et ceteri boni, deterior familia non item.

Iam si legimus ut dixi, infitias eundem non est, e deterioribus libris recipiendum esse *cum*. Id igitur sicubi restituerimus, locus sic habebit: *Erat etiam trulla excavata<sup>18</sup> ex una gemma pergrandi, cum manubrio aureo, de qua . . . Q. Minucium dicere audistis.*

§ 81. *Deinde ista praeclara nobilitas desinat queri populum Romanum hominibus novis industriis libenter honores mandare semperque mandasse. Non est querendum in hac civitate, quae propter virtutem omnibus nationibus imperat, virtutem plurimum posse. Sit apud alios imago P. Africani: ornentur alii mortui virtute ac nomine: talis ille vir fuit, ita de populo Romano meritis est, ut non uni familiae, sed universae civitati commendatus esse debeat.*

<sup>18)</sup> *Excavata* dici potest tum *gemma*, quam quis ita cavavit, ut formam *trullae* ipsi inderet, tum *trulla* per eam excavationem nata.

Multo etiam plura exscribenda essent, si omnia Ciceronis verba adducere vellem, e quibus appareat, quid universe orator voluerit. Id autem hoc est: Si Metellus Scipio, Verris patronus, etiam nunc causam P. Africani ceterorumque maiorum suorum suscipit, non praecerpet M. Cicero fructum officii Corneliani, silebit Tullius de Scipionum monumentis; sin Verris amicitia impedit Nasicarum progeniem, succedet M. Tullius vicarius illorum muneri. Haec copiose exponuntur ab initio inde capitis 36.

Vix recte de hoc loco diiudicabimus, antequam sit confectum, utrum eosdem an diversos dixerit Cicero eos, apud quos imago P. Africani sit, eosque, qui ornentur *mortui virtute ac nomine*. Quod haud ita facile fiet. Bakius<sup>19</sup>, qui olim haec scripserat: »opponi inter se non posse contendo *imaginem et nomen*, et hoc fere iungitur cum *genere*, et cum »similibus." . . . »Legam *ornantur — virtute atque animo*." Alii igitur loco altero, ex Bakii mente, diversi sunt ab *aliis* loco priore; nempe intelligitur Cicero posteriore loco, et qui ipsi similes sunt.

Nuper eundem locum Bakius retractavit, et, quod summum est, hanc partem opinionis suae mutavit, *alios* altero loco eosdem intelligens, quos priore. Quem libentissime sequor dicentem<sup>20</sup>: »Concedit aliis et imaginem Africani, et *nomen*, modo ipse universae civitati commendatus sit, sed *virtutem* illis concedere non potest." Neque audiendus est Halmius vertens »*persönliches Verdienst*," qui videtur cum haec scriberet Bakii locum alterum nondum cognosse, aut Hotomanus qui *alios* singulis locis a se invicem diversos putans annotat: »at alii qui virtutem eorum" (Scipionum) »defendunt" ctt., immemor *nomine* esse adiectum, quod necessario solos Scipiones spectat.

E Bakii priore sententia hoc sumo, *genere et nomine* coniungi solere. Quod ipse demonstravit adductis hac ipsa § in

<sup>19</sup>) Bibl. Crit. Nova, V. 1. p. 23 sq.

<sup>20</sup>) Schol. Hyp. IV. p. 221.

fine, porro Lib. II § 51, IV § 79, V § 180, quibus addo Lib. I § 128. At cur non hoc pro *virtute* reposuit, *genere*? Nam si quis *virtute et nomine ornatus* dici recte possit, certe et *genere* bene habet. Nec qui *generosus* quid sit reputat, dubitabit, quin *virtus* pro explicatione vocabuli *genus* locum obtinere possit, etsi libri V § 180 memor sit. Id autem ante *mortui* ponam, ne huius participii casus in ambiguo videatur esse, et locum sic scribam: *Sit apud alios imago P. Africani: ornentur alii genere mortui ac nomine, ctt.*

§ 104. *Pro di immortales! quem ego hominem accuso? quem legibus aut iudiciali iure persequor? de quo vos sententiam per tabellam feretis?*

Cicero sic interrogans, ut nostro loco facit, significat nequissimum esse eum, quem intelligit. Hoc vult: quem accuso? scilicet nocentissimum; quem legibus et iure persequor? nempe sceleratum et iniustum; de quo vos sententiam feretis? immo de eo quem necesse sit condemnari.

Hinc sequitur, apte facere scriptorem, qui simpliciter interrogat, neque inepte addi ea, quae culpam adversarii augeant. Prior interrogatio simplex est. Quae addita sunt in altera, ea corrupta sint licet, certe indicant, ius et leges esse, adversus quae Verres peccavit. Quod si de tertia valeret, sequeretur, eum de quo per tabellam sententia fertur, nocentiorum esse, quam si de eodem sententia voce ferretur. Nemo monitus negabit hoc absonum esse; vix quisquam admonitione indigebit. Equidem deleo *per tabellam*; origo interpolationis esse potuit, quod aliquis explicare rationem sententiae ferendae voluerit. Hoc genus interpolationis in codicibus Verrinarum ultimarum bonis haud ita frequens est in Regio saltem, Leidensis et Guelferbytanorum fonte. Vaticanus contra et prior Guelferbytanus de bonis, deteriores porro complures, istius modi emblemata habent sat magno numero. Eiusdem generis sunt § 73 verba *bello Punico tertio* in hisce: *Aliquot saeculis post P. Scipio bello Punico tertio Karthaginem cepit, quae Bakius<sup>21</sup> eiecit,*

<sup>21)</sup> Schol. Hyp. IV. p. 221, ad h. l.

quaeque item ut superiora in omnibus codicibus sunt.

Ceterum in vocabulo *iudiciali* viri docti haeserunt, quod notum est. Alii aliter; *sociali* verbo suasit Cobetus in ea suspicionum serie, quae haud ita pridem Mnemosynes nostrae fasciculos claudere solebat<sup>22</sup>. Id iam ab Halmio receptum video in egregiam editionem Weidmannianam, sed alteram, de qua v. spr. in elencho. Ceterum cf. Divin. § 17. 18, Lib. II § 15, quae Cobeti coniecturam illustrant.

§ 112. *Tenuerunt . . . P. Popillio P. Rupilio consulibus illum locum servi, fugitivi, barbari, hostes; sed neque tam servi illi dominorum, quam tu libidinum; neque tam fugitivi illi ab dominis, quam tu ab iure et ab legibus, neque tam barbari lingua et natione illi, quam tu natura et moribus; neque tam illi hostes hominibus, quam tu dis immortalibus.*

Offendit, quod *illi* ultimo loco medium inter *tam* et *hostes* interponatur. Sic non apud omnes quidem nostros auctores scribitur, scilicet Iordanus habet »*illi tam* Lagg. dett., O;” sed horum non magna auctoritas est. Variationem loquendi a Cicerone quaesitam fuisse facile credo, sed in superioribus periodi partibus aliquid tamen est, quod ex octo locutionibus ubique nisi hic observatur, illud nempe, pronomen cum vocula commatis primaria artissime esse coniunctum. Quod in prioribus membris ita fit, ut *illi* voculam istam proxime sequatur, in posterioribus vero sic, ut *tu* antecedit quam proxime. Hoc solo loco *illi* ante *hostes* ponitur, et sic, ut *tam* et *hostes* infelicissime seiungat.

Ultima igitur sic lego: *neque tam hostes illi hominibus, quam tu dis immortalibus*. Ita hoc etiam lucratur, ut soni ingrata repetitio *hostes hominibus* minuatur. Origo autem corruptelae haec est, quod *illi* quamcumque ob causam suo loco omissum deinde in archetypo supra versum scriptum fuerit, sed paulo magis ad sinistram, quam debebat: ponere scriba debebat: *neque tam hostes*, at sequentes librarii *neque tam hostes* vel *neque*

---

<sup>22)</sup> Mncm. III. 230.

*tam hostes* legentes effecerunt meliorum deteriorumque codicum lectiones. Quod si cui haec explicatio iusto subtilior videatur, et nimis forsitan accurata, alteram dabo simpliciorum hancce, vocabulum *illi* forte in margine annotatum a variis deinde librariis variis textus locis insertum fuisse. Eligatur igitur utrumlibet; ut ut sit, id constabit, locum pronominis *illi* esse incertum, id est constituendum ex iudicio nostro.

§ 127. . . *Cum ipsa fuit egregie facta, tum epigramma Graecum pernobile incisum est in basi, quod iste . . . si unam litteram Graecam scisset, certe una sustulisset. Nunc enim, quod scriptum est inani in basi, declarat, quid fuerit, et id ablatum indicat.*

Fuerat id *Sappho*, quae sublata de *prytanio* est, *Silanionis opus*, ut Ciceronis verbis utar, § 125 sq. At hoc nunc non moror. Basis autem, quam Cicero significat, post signum ablatum inanis fuit quidem, sed quod ad signum attineret, non quod ad epigramma. Vocabula *inani in basi*, ut locus nunc legitur, a *scriptum est* pendent. At voluit Cicero haud dubie, ut quisquis paulo subtilius cogitans: *quod scriptum est declarat, quid in basi nunc inani olim fuerit.*

Id autem restituetur transpositione facili, si *declarat* loco suo motum ante *inani* reponatur. Eiusmodi transpositiones in codicibus nostris occurrere posse saepius iam monui, et apparebit, si quis varietatem lectionum apud Iordanum inspiciat. Equidem igitur hic non adscribam nisi exempla huiusmodi, ubi fragmenta Vaticana ostendunt, in Regio codice sic erratum esse, quae exempla rem conficient, quoniam in nostro loco ultra Regium ascendere non possumus. Locos, ubi ordo verborum in Regio et Vaticano discrepat, novi duodecim. Ex his tres sunt, ubi Vaticanus Regio praestet, auctore Iordano, qui tamen Vaticano Regium anteponit<sup>23</sup>. Horum unus est V § 94, ubi in vocabulis *is est conventus Syracusis civium Romanorum, ut non modo illa provincia verum etiam hac re publica dignis-*

---

<sup>23</sup>) L. I. p. 324, ante initium libri quarti Accusationis.

*simus existimetur*, Regius codex *hac etiam* habet, Vaticanus *etiam in hac*, sed *in deleteo*. In re et levioe et minus certa satis erit, ad sententias Halmii Zumptique provocare, qui cum Iordano Vaticanum sequuntur, etsi dissentiente Klotzio. In altero loco V § 126 Vaticani scriptura: *Non aurum, non argentum, non vestem, non mancipia repetunt*, statim se commendat prae ea, quam praeter hunc et Lg. 29 omnes libri exhibent, *non argentum, non aurum*, ut hanc mireris ab Orelilio receptam et a Zumptio, sed eos traditam servasse tantum opinor, quam bene repudiarunt recentiores, Klotzius Halmiusque. Tertius invenitur locus V § 123: *Utrum ego desipio . . . ? an vos quoque hic acerbissimus innocentium cruciatus et maeror pari sensu doloris afficit*. Nullum est dubium, quin collocatio *vos hic quoque* in Regio et derivatis mendosa sit, et viri docti consentiunt, at locum ideo postposui minusque ei quam superioribus tribuo, quod Vaticani lectio diserte non commemoretur et e Zumptii Iordanique silentio conficienda sit. Hoc indubitatum manet, quod summum est, etiam in Regio collocationes verborum nonnullas esse, quae improbandae sint.

Transpositionem igitur fieri posse demonstravi. An revera facta sit hoc loco quis decernet, nam certe etiam ipse Cicero errare potuit omnino, et sic scribere, ut aliud intelligeret, significaret aliud. Quam multo autem saepius et acute cogitavit et scripsit accuratissime! Quod si hoc quoque loco fecit, haud dubie interpunctione etiam redintegrata scripsit: *Nunc enim quod scriptum est declarat, inani in basi quid fuerit, et id ablatum indicat*.

§ 148. . . . *Retinere incipit tabulas Theomnastus quidam, homo ridicule insanus, quem Syracusani Theoractum vocant; qui illic eius modi est, ut eum pueri sectentur, ut omnes, cum loqui coepit, irrideant. Huius tamen insania, quae ridicula est aliis, mihi tum molesta sane fuit*.

In ultimis verbis, sic uti nunc exstant, Cicero haec dicit, Theomnasti insaniam *aliis* ridiculam esse, eandem vero *tum* ipsi molestam fuisse.

At eiusdem insania item Ciceroni ridicula videbatur, ut in iis dicit quae statim antecedunt, itemque statim post: *cum*

*spumas ageret in ore, oculis arderet, voce maxima vim me sibi afferre clamaret.* Haecne putemus Ciceroni non ridicula visa fuisse? Is porro non dixisset ab omnibus irrisum fuisse Theomnastum, si statim subiuncturus fuisset, se ipsum excipi.

Cicero dicit, sibi Theomnasti insaniam *tum* molestam sane fuisse. Itaque alio tempore molesta forte non erat. Neque fuisse credo. Praeter illum diem Cicero, ni magnopere fallor, Theomnastum aut omnino non curavit aut suaviter risit.

Itaque hominum aliorum mentio supervacua est vel molesta, temporis autem commemoratio per *tum* bene habet, et videtur oppositionem postulare. Quae statim nascetur, si legerimus *alias*. Ceteroquin, alio tempore, insanus ille Theomnastus non nisi ridiculus est cuilibet; vel molestus ut sit homo efficere nequit, nisi *mihi tum*, uni Ciceroni unoque isto tempore. Codices nil variant, sed mutatio levissima est et librarius facile poterat notissimum sibi adiectivum data opera pro adverbio substituere quod non caperet. Viri docti nil annotasse videntur. Nos tamen ideo non dubitabimus, quin legendum sit: *Huius tamen insania, quae ridicula est alias, mihi tum molesta sane fuit.*

§ 149. *Praetor intelligens negare sibi placere, quod senatus consultum ratum esse non deberet, id me Romam deportare.*

Senatus Syracusanus Ciceroni favens decreverat *ut laudatio, quae C. Verri decreta esset, tolleretur*, § 145. De eo fit discussio, perscribitur, refertur in tabulas. Tum praetor appellatur a P. Caesetio, qui Verris quaestor fuerat, § 146. Haec omnia sic plane, uti dixi, apud Ciceronem exstant. Praetor autem appellatus fuisse videtur de eo, utrum Scto Ciceroni tradi oporteret necne. Id duplici argumento evincam. Nempe simulatque Ciceroni praetorem conveniendi potestas facta est, statim ab eo postulat, ut Syracusanis liceret senatus consultum, quod pridie fecissent, ipsi tradere, deinde universa disceptatio in eo versatur. Alterum argumentum sit, idem prorsus in priore Scto ab iisdem senatoribus Syracusanis factum fuisse, cf. § 145: *Decernunt . . . Id non modo tum scripserunt, verum etiam in aere incisum nobis tradiderunt.* Non modo scripserunt, ut item alterum, verum tradiderunt etiam, quod ul-



timum in altero quoque SCto fieri frustra vetarunt Caesetius, Theomnastus et praetor.

Iam cum Metellus hanc ob causam appellatus sit, videamus quae postea gesta sint. Postulat Cicero, ut praetor vel permittat Syracusanis vel eosdem iubeat tradere tabulas, in quibus SCtum inscriptum esset. Praetor negat. Iam ipse Cicero admonitu ipsorum Syracusanorum impetum in eas tabulas facit, in quibus senatus consultum illi perscripserant, § 148. Retinere incipit tabulas Theomnastus; itaque cum isto copulatus Cicero in ius pervenit. Cicero postulat, ut sibi tabulas obsignare ac deportare liceat. Obloquitur Theomnastus, et illud, in quo praetor appellatus sit, negat esse SCtum; affirmat porro, quod SCtum non sit, id Ciceroni tradi non oportere. Alterum hoc refellit Cicero recitans legem, Corneliam de repetundis opinor, omnium tabularum ac litterarum fieri potestatem, ei scilicet, qui inquisitum in provinciam venerit. Eam ad se legem pertinere negat quidem Theomnastus, at hoc furiosi erat, § 149. Iam praetor, L. Metellus, sese interponit, neque hunc Cicero, opinor, *intelligentem* ironice vocasset, nisi ille dixisset absurdi aliquid. Quid igitur dixit Metellus? Ut nunc scriptum exstat, id, quod iniustissimum esse potest sed minime absurdum est; quin immo recta ad dicentis finem ducit: istud non ratum est, neque igitur SCtum, neque Romam deportandum. Alterum igitur, quod Theomnastus dixerat, iterum affirmat Metellus, apertissime contra legem Corneliam. Poterat igitur, ut Theomnastus, sola legis lectione refelli, porro cogi, ut fit statim post, recitata sanctione legis et poena, sed nil est, propter quod vel serio et plebeie stolidus appellari meritus esset, vel urbano ioco ironice *intelligens*.

Neque viri docti hoc observasse videntur, nec de codicum lectionibus quidquam traditum est, libentissimeque id concedo, ni meliorem lectionem in libro ms. invenissem, vitium quod indicavi verisimiliter mihi quoque fraudem facturum fuisse. Nempe de Regio codice silent Iordanus, Zumptius, Havniensis collatio apud Madvigium, Graevius etiam; sequuntur auctoritatem Guelferbytani et Leidensis e Regio derivati, sed de nullo libro id, quod dicam, commemoratum inveni, nec quod

illi contrarium sit. In Leidensi autem pro *deberet* inveni *dubitaret*. Id sensum optimum praebet, ut statim apparebit. Lectio autem certe non est coniectura eius ignorantissimi librarii, qui Leidensem scripsit. Debet igitur ex antiquiore codice propagata esse, et equidem suspicor ita inventum iri in Regio. Quod si verum est, lectio recipienda erit. Immo Metellus vel hoc obtinere non potuisset, SCtum non ratum Ciceroni tradendum non esse. At SCtum ratum esse ipse Metellus non *dubitabat*. Multo igitur minus id Ciceroni denegari debebat, et qui hoc facit nihilominus, is certe absurde agit et ironice appellari potest *intelligens*.

Unus Hotomannus particulam eorum, quae dixi, sensisse se ostendit. Ad verba *quod senatus consultum ratum esse non deberet* ille annotavit: »propter intercessionem.» Vellem *appellationem* dixisset, sed hoc nil moror. At appellatus erat praetor de hoc ipso, utrum SCtum, utpote ratum, Ciceroni tradendum esset necne. Si ratum, certe tradendum erat, quod vel Theomnastus non denegarat. Itaque si non tradendum est, id necessario praetor irritum esse credit. Si credit, ipsi decernendum est, de quo praeter ipsum in SCto iam perscripto nullius est arbitrium, nempe irritum id *esse*, non *esse debere*, ut ex Hotomanni mente. At ex mea, Metellus id ratum esse probe scit, non *dubitatur*, et tamen tradendum id esse negat, id quod Cicero summo iure et urbane iocans absonum esse significat. Donec igitur de Regio codice constabit, legamus: *Praetor intelligens negare sibi placere, quod senatus consultum ratum esse non dubitaret, id me Romam deportare.*

§ 149. *Ille autem insanus, qui pro isto vehementissime contra me declamasset, postquam non impetravit, credo, ut in gratiam mecum rediret, libellum mihi dat, in quo istius furta Syracusana perscripta erant, quae ego antea iam ab aliis cognoram et acceperam.*

Ironicum credo illud vocabulum excipere solet, quod Cicero verbo affirmat, re negat. Id autem non est *non impetravit*, quod certum erat, sed *ut in gratiam mecum rediret*; hoc scilicet Theomnasti propositum fuisse affirmat Cicero, quod absurdum esse subintelligit, quoniam hinc amici esse non pote-

rant<sup>24</sup>, significat autem eo, quod dicat Theomnastum secum communicasse tamquam nova quaedam magnique pretii, quae ipse Cicero antea iam ab aliis cognorat et acceperat. *Redire* igitur *in gratiam* id est, quod Cicero non credit, sive credere se dicit ironice. Legendum igitur est *postquam non impetravit, ut in gratiam, credo, mecum rediret, libellum mihi dat.* Transposuit is, qui ordinem verborum paulo magis artificiosum non caperet. Sat iam istius modi transpositionum indicavi, ut supervacaneum sit demonstrare, eas occurrere posse; ceterum neque codices quidquam praebent huc faciens, neque doctorum annotationes.

Modo autem prorsus eodem, quo hic in Verrem Theomnastus, ipse Verres olim in Cn. Dolabellam peccarat, cf. Lib. I § 97.

§ 151. *Quam ob rem tibi habe sane istam laudationem Mamerthinorum: Syracusanam quidem civitatem, ut abs te affecta est, ita in te esse animatam videmus, apud quos etiam Verria illa flagitiosa sublata sunt. Etenim minime conveniebat ei deorum honores haberi, qui simulacra deorum abstulisset.*

*Apud quos*, si ipsam litteram sectamur, *Syracusanam civitatem* spectat; apparet ipsos Syracusanos intelligi, sed ista tamen coniunctio nonnihil habet quod molestum est. Contra *etenim*, quod sequentia cum superioribus connectit, id ipsum maxima interpunctione ab illis dirimitur.

Non difficile est inventu, quomodo huic vitio medeamur. Sed alterum supervenit. Sententiae optimorum scriptorum, oratorum praesertim, tum probandae sunt maxime, si nusquam discindi possunt ita ut sensus nascatur ridiculus, saltem in parte priore. Legentes enim, ne auditores dicam, non eodem temporis puncto totam sententiam accipiunt sed alia vocabula post alia, et priora a sequentibus excipiuntur intervallis perparvis, sed intervallis. Quae si tenebimus, quam absonum videbitur *minime conveniebat ei deorum*, et vel nudum hoc, *ei deorum*; ferre nemo poterit ut Verres credatur esse

---

<sup>24</sup>) Cf. etiam Lib. I § 98.

deus, ne per tantillum quidem temporis spatium. Quid multa? Interpunctione mutata ei transponendum erit, et sic legendum: . . . *ita in te esse animalam videmus. Apud quos etiam Verria illa flagitiosa sublata sunt, etenim minime conveniebat deorum honores ei haberi, qui simulacra deorum abstulisset.* Librarii dativum verbo suo, quod putarent, quam proxime ad-moverunt.

§ 151. In verbis huius § *calamitoso dies* (sic R) Iordanus annotat, hic in codice R folium desinere, ut reliqua verba libri desiderentur. Nec tamen ipsi videtur folium in codice excidisse.

Iam infra Regium nullum novi codicem, unde Leidensis derivatus sit. Fortasse igitur non inutile erit, per paucos hosce versus huius libri, qui ad manus est, discrepantias a Iordani editione omnes publici iuris facere. Sunt autem hae:

<i>haec turpia</i>	I.;	<i>ac turpia</i>	Ld.
<i>Heraclii</i>		<i>erarii</i>	
<i>quotannis</i>		<i>quot annis</i>	
<i>opera omnium</i>		<i>operationum</i>	
<i>recuperarant</i>		<i>recuperarent</i>	

In eadem § legitur: *quod eo ipso die Syracusae a Marcello captae esse dicuntur. Immo a M. Marcello.* Cf. §§ 115. 130, ubi ut nostro loco nemo exspectabat M. Marcellum nominatum iri, quin § 122, ubi iam de eodem sermo fuerat. Nam si hoc locum habet, frequenter omittitur praenomen, ut §§ 116. 120. 121. 122. 125. 131 bis, interdum etiam, fateor, ubi introducit is de quo Cicero nondum dixisset, ut § 129 *Flamininus*. Nempe ipse Cicero hoc in argumento sibi minime constat, sed longe frequentissime per praenomen et cognomen appellat homines gentium earum, in quibus multae familiae sunt; interdum eosdem per praenomen et nomen gentile indicat, sed tum maxime, si eorum gens nonnisi paucas familias contineat. Percurram deinceps totum hunc librum, in quo primus § 4 est *L. Mummius*, nam Graecos civitate donatos nil moror, deinde § 6 *C. Claudius*, nempe *Pulcher*, § 7, nemo enim Romanus, opinor, Claudium aliquem patricium appellasset *C. Pulchrum*. *P. Servilius* est § 21, sequente § *C. Cato*,

*L. Paullus*, *P. Africanus*, § 55 sq. *L. Sisenna*, quater, § 57 *M. Caelius*, *Q. Catulus*, *L. Sulla*, denique *C. Marcellus*, § 42 post *Q. Arrium Cn. Calidius*, qui saepius occurrit, in sequentibus etiam sine cognomine, ut *Curidii* nomen nudum, postquam *L. Curidius* semel nominatus fuisset; § 46 est *L. Papinius*, § 49 *L. Lucullus*; § 55 *Cn. Lentulus Marcellinus*, etiamtum iuvenis, plene nominatur ut Div. § 13, quem post annos quattuordecim nude *Marcellinum* dicit ad Att. IV. II. 4 bis. III. 5 bis, et quod epistolarum forma liberior est et quod ille, opinor, iam consulatui proximus, ita satis esset indicatus. In § 56 tres sunt *L. Pisones*, sed *Valentii*, *Verris* interpretis, *Aulus*, praenomen de industria forte omissum est in § 58, ubi *L. Titium* habemus, § 62 *Q. Minucium* ut longo intervallo § 70 iterum, post *Q. Catulum* § 69 cf. § 84. *P. Scipio* prima vice appellatur § 75, et item § 74 *P. Africanus* cum praenomine; in sequentibus *Scipio* semel de utroque Cornelio §§ 75. 80, ceterum *P. Africanus* saepissime dicitur Karthaginis eversor, qui semel iterumque § 85 sq. nude *Africanus* audit; contra Pompeii socer dicitur constanter praeter unum istum locum *P. Scipio*; eiusdem *Scipionis* § 84 non officit. *C. Marcellus* § 86 et saepius huc non pertinet, quia praenomen iam propter ceteros Marcellos omitti non poterat, sed *P. Scipio*, i. e. *Africanus*, § 93 recurrit, *Ti. Gracchus* § 108, ubi *P. Mucio L. Calpurnio consulibus* anni significatio legitima est, nam horum alterum, ut hoc saltem dicam, *L. Pisonem* Cicero dixerat § 56. Minus apertum est § 112 *P. Popillio P. Rupilio consulibus*, sed pertinet eodem, nec § 126 ad monumentum *Catuli*, in porticum *Metelli*, harum rerum periti mihi obiicient. Dixi de *Flaminino*, § 129 bis. Sunt § 133 *L. Crassus*, *Q. Scaevola*, *C. Claudius*, est *Carpinatus* § 137, sed is eiusdem loci cum *Valentio* § 58, etiamsi non additum esset ad *Carpinatii praeclaras tabulas revertēbar*, ut § 120 nunc ad *Marcellum revertar*, § 151 ut saepius ad *Marcellum revertar* omissi praenomina rationem sat validam reddunt. Ille autem sine praenomine *Carpinatus* socios sibi habet in eadem § *Verrucios* aequae destitutos; contra *Sex. Peducaeus* est prima vice § 142 et in excerpto *SCTi* § 143, ceterum praenomine caret. Agmen claudunt *P. Caesetius* § 146, ubi tamen lectio

incerta est, *Numidicus* huc non trahendus, etiamsi id non sufficeret, quod solus ille *Metellorum* honorificum istud nomen gessit, § 147, et ibidem *L. Lucullus*; nam de Verre quando praenomen secum ducat quaerere non libet. Quae sufficient, opinor, ut id quod velim satis appareat. Nempe hic et consuetudo est satis certa, et libertas tamen eligendi, prouti et hominum dignitas et natura nominum multaque alia hoc vel illud elegantissimo oratori suaderent, ita ut nil attineat locos cumulare ubi consuetudinem servarit necne. In ipsa lectione de singulis nominibus observandum erit, sitne Cicero ita locutus ut dixi, et ubi non sit, quaenam fuerint causae ipsum alio impellentes.

## II.

Act. I § 3. *De quo (Verre) si vos vere ac religiose iudicaveritis, auctoritas ea, quae in vobis remanere debet, haerebit: sin istius ingentes divitiae iudiciorum religionem veritatemque perfregerint, ego hoc tamen assequar, ctt.*

Sic locum bene constituit Iordanus, ut item §§ 45. 51 secundum Halmium et Baiterum, etsi adversus codices. Quod cum ita sit, mihi satis erit id demonstrare quod maxime volo, iis omissis quae non summam rem spectant.

In iis locis igitur ubi et *vere* et *severe iudicare* obtinere possit, hoc valet, et *iudiciorum veritatem* probe dici, et poni debere, ubi cum *fide, religione*, aliis, componitur substantivum id, quod utrum *severitas* sit quaerimus an *veritas*. Auctores sunt praeter sanam rationem codices.

Unus Verrinarum locus utrumque demonstrat Lib. IV § 113: *Aguntur iniuriae sociorum, agitur vis legum, agitur existimatio veritasque iudiciorum*. Sic Iordanus, Klotzius Halmiusque, codd. et edd.; unus Zumptius *severitasque* coniecit: »Nam *veritas iudiciorum* dubito num usquam recte legatur et hoc quidem loco” nostro Act. I § 3 »praecessit *si vos severe iudicaveritis*. Cf. ad III. 69.” Sed et ipse illud in textum non recepit Lib. IV § 115, et id ad quod provocat *severe* Act. I § 3 ipsum in ambiguo est, et l. l. III. 69 (§ 162) idem Zumptius idem illud *veritate iudiciorum* et ante Iordanum Klotzium-

que e codicibus in textum recepit et in annotationibus adversus vulgatum *severitate iudiciorum* defendit, recte utrumque. Duo iam sunt loci demonstrantes, *veritatem iudiciorum* recte dici; tertius est *Cael. IX. 22: neque huius iudicii veritatem, quae mutari nullo modo potest, in testium voluntate collocari sinam.* Ita saltem Orellius scripsit et Bakius<sup>25</sup> et sine varietate lectionis Halmius in Orelliana altera.

Alterum etiam quod volo Verrinae demonstrant. Lib. I § 4 exstat: *neque tanta fortunis omnium perniciēs potest accidere, quam opinione populi Romani rationem veritatis, integritatis, fidei, religionis ab hoc ordine abiudicari.* Sic codd., edd., Iordanus Zumptiusque et Klotzius, sic Bakius l. l., sed quid auctoribus opus? Nemo scilicet h. l. *severitatis* suadebit. Lib. II § 179 *si facultatem vere atque honeste iudicandi fide et diligentia mea fecero* locus simillimus est; hic quoque Iordanus, Klotziusque et Zumptius, codd. et edd. consentiunt. *Pro Quinct. II. 10: Cum . . in tuam, C. Aquili, fidem, veritatem, misericordiam P. Quinctius confugerit,* quis *severitatem* invito Ciceroni obtrudet? Non certe Baiterus recentissimus editor, cuius textum describo, quique vel variam lectionem nullam habet.

Recte igitur, quod iterum dicam, loco nostro Iordanus *vere* scripsit, frustra repugnantibus codicibus editionibusque etiam recentissimis, Zumptiana etiam et Teubneriana Klotzii, a quibus meliora exspectes. Nam ne omnino solus staret Iordanus, commode prohibuit Severiani grammatici codex Monacensis, in quo h. l. sic adducitur, ut *vere* legatur. Idem probavit Halmius in utraque Weidmanniana, ad Lib. IV § 113, ubi plures locos eiusdem generis componit, unum tamen quem utrobique eodem modo adductum tamen non reperio, Lib. I § 151.

In sequentibus etiam Iordano assentior, *veritatem* scribenti. Codices assentiri affirmat silentium Iordani disertumque Zumptii testimonium, assentiuntur Klotzius Halmiusque, sed P. Manutii coniecturam vel codicem unum e deterrimis Iannoctia-

---

<sup>25</sup>) Ad Cic. Legg. p. 276.

num omnes editores secuti sunt, Zumptius etiam et Orellius, idemque suadet Bakius l. l. Verum est, codicum auctoritatem h. l. paulo leviolem esse quam solet, quia *veritatemque* in G 2 Ld. omissum est.

Quae cum ita sunt, loci tres alii inspiciendi restant, Act. I § 43: *Nulla in iudiciis severitas, nulla religio, nulla denique iam existimantur esse iudicia.* Ad q. l. Halmius in altera Orelliana: »Fort. *veritas* coll. § 5.” Obloquitur Iordanus allatis exemplis compluribus, sed ut id demonstret, *iudicia severa* et quod simile est dici posse. Codices nullos adducit, habebit igitur haud dubie ceteros suffragantes, ut habet Leidensem librum; habet porro Zumptium et Klotzium, sed refutatur analogia locorum quos supra posui, quoniam *veritas* sive *severitas* hic quoque cum *religione* composita sit, ideoque, quod ea iudicia, in quibus hic dicitur *nulla veritas* sive *severitas* fuisse, mox dicantur *male et flagitiose* habita, § 44, dicantur *turpia et flagitiosa* § 44, quod eorum iudices significantur fuisse *improbi* § 50. Alter locus est ibid. § 51: *Suscipe causam iudiciorum, suscipe causam severitatis, integritatis, fidei, religionis; suscipe causam senatus, ut is hoc iudicio probatus cum populo Romano et in laude et in gratia esse possit.* Commemoratio, credo, *integritatis, fidei, religionis* Baiterum impulit, ut adducto Lib. I § 4, quem locum modo vidimus, adscriberet: »Malim *veritatis*.” Iordanus Zumptiusque et Klotzium non audiunt vel potius et hic et § 45 nimis presse codices secuti sunt, quorum Leidensis hic quoque *severitatis* exhibet (Ldk.), dum Iordani silentium idem de ceteris indicat. Tertius est locus V § 150: *Hunc ego si metum Siciliae (falsarum capitis damnationum cum cruciatu) damnatione istius per vestram fidem et severitatem dei cetero ctt.* Utrumque et *severitatem* et *veritatem* defendi potest. Fragmenta Vaticana *veritatem* habent, Ldk. *securitatem* i. e. *severitatem* leviter corruptum, dt. *virtutem*; pro ceterorum lectione igitur habendum est *severitatem*. Halmius in Orelliana haec annotat non satis perspicua: »Frustra igitur Maius in Praef. p. xv conquestus erat, ut aliis locis sic hoc quoque ab incautis criticis verae lectioni *veritatem* vocabulum *severitatem* obtrusum esse, cuius” opinionis? »*falsitas* h. l. ipsa lectione codicum dett. redarguitur. Cf. V



»§ 188.» Neque locum adductum reperio et verba Halmii videntur lectioni *severitatem* favere, postea tamen in Weidmaniana saltem altera *veritatem* dedit. Klotzium Zumptiusque cum Iordano stant, ego codices sequar, sicubi apud me constabit, et *severitatem* in Regio esse eumque Vaticano praestare solere, quod utrumque credo sed nondum scio; interea *severitatem* magis placet.

§ 4. . . . . *Istius insidiae nefariae, quae uno tempore mihi, vobis, M'. Glabrioni praetori, sociis, exteris nationibus, ordini, nomini denique senatorio facere conatur.*

Codicum auctoritas haec est: *vobis* om. dtt. Quod nunc non persequor. Porro *praetori*] *p. r.* G 2 λ Ldk., *r. p.* G 1, et praeterea secundum Zumptii appendicem p. 1010 *pp<sup>i</sup> R<sup>i</sup> Lg. 29*, *p. r.* Huyd. Mein., quae Iordanus omisit. Insuper est *exterisque* Ldk.

Quod volo hoc est, codices bonos exhibere *populo Romano* G 2 λ Ldk. vel *reipublicae* G 1. Mali vel exscripserunt *p. r. i. e. populo Romano*, vel notissimo frequentissimoque errore id in *pr. i. e. praetori* mutarunt, cuius erroris miram formam habes in *pp<sup>i</sup> R<sup>i</sup> Lg. 29*, si lectio certa.

Excitantur ordine et brevissime Cicero, iudices, M'. Glabrio praetor, socii, exterae nationes, senatorius ordo, ipsum nomen senatorium. In hac serie unus omittitur Populus Romanus. Bis nominantur duo: senatorius ordo nomenque senatorium excitantur, sed locutionis utriusque inter se discrimen apud Ciceronem obscurius est, et id ipsum tum maxime agebatur, nomen senatorium ordoque et utriusque fama. Praeterea nemo bis excitatur nisi M'. Glabrio praetor. Paulo infra § 10 *hoc praetore et hoc consilio* recte editur ex Pseudo-Asconio qui vocatur et Lallemandi codice Parisino uno, sed olim ad *praetore* aannotatum fuerat *Glabrione*, unde *hoc praetore Glabrione* Gronovii scholiasta habet, *hoc Glabrione praetore* codices quidam deteriores et Halmii<sup>26</sup> Lgg. 7, *hoc Gla-*

<sup>26</sup>) Supplementum apparatus critici ad quatuor libros priores orationum Verrinarum. Congessit C. Halmius. In Orelliana altera statim post Iordani Verrinas, p. 443—461, quarum volo p. 444. Cf. ibid. p. 235 sq.

*brione* nudum et omisso *praetore* G 3 et Halmio<sup>27</sup> auctore Lg. 42; porro in Stephani codice utrumque vocabulum *Glabrione praetore* omissum esse Iordano traditum est, qui tamen id addubitat; si Zumptius auctor est, non Stephani codex sive margo editionis sed ipse textus illud habet; at codicem affirmat Halmius<sup>27</sup>, credo ob dubitationem Iordani. Idem ait<sup>27</sup>, Lg. 29 p. m. cum Stephano facere. Ex universo loco apparet, pronos fuisse librariorum ut Glabrionis nomen non ita notum adscriberent ubi praetor nominaretur, vel quod idem est ut ad Glabrionis nomen honoris etiam significationem adderent.

Non ultra reticebo quod lectores mei, puto, dudum perspexerunt. Legendum est *M. Glabrioni, populo Romano, sociis, exteris nationibus*. Absonum foret, patronum et iudices praetoremque cum senatorio ordine excitare, absurdus etiam socios nominare et nationes exteris, si omiseris id quod gravissimum est, *populo Romano* insidias Verrem facere conari.

§ 19. *Renuntio, inquit Hortensio C. Curio, tibi te hodiernis comitiis esse absolutum.*

Nulla ad h. l. commemoratur varia lectio codicum. Est tamen una eaque sat notabilis; codex enim Leidensis in textu tamquam Ciceronis verba habet *liberatum alii absolutum*. Idem alibi obtinuit: Lib. I § 72 pro *liberaretur* idem codex habet *absolueretur alii liberaretur*.

Quid intersit, optime docet locus *Cluent. XXIV. 67*: *cum esset Scamander unius Staieni sententia absolutus, patronus autem Scamandri ne sua quidem sententia liberatus*. Nempe Staienus et ceteri de Scamandro condemnando sententias tulerunt, e quibus una tantum hominem absolvit improbissima, sed sententia; C. autem Fabricius, patronus ille Scamandri, de iudicio suo deque se absolvendo sententiam habebat quidem eamque significavit, sed certe non tulit. *Absolvere*, ut verbo dicam, hic est vocabulum multo magis proprium quam *liberare*.

Iam hinc suspicari licet, utroque loco quem adduxi *liberare* scribendum esse, non *absolvere*. Nam quod Verres altero loco

---

<sup>27</sup>) L. 1.

timebat, id erat non tantum ne absolveretur Philodamus, sed ne quocumque demum modo liber et salvus evaderet, *ne Philodamus Neronis iudicio liberaretur*, Lib. I § 72. Illic igitur lectio Iordani probanda est. Sed eandem ob causam h. l. scribendum est *liberatum*, non *absolutum*. Comitia ex mente Curionis aliorumque multorum hoc effecerant, fore ut Verres absolveretur, liberarent igitur hominem, si quis accurate loquatur, immo absolverant, si quis pinguius, at illud Cicero solet.

Originem earum lectionum, quae hic illic in Leidensi obversantur, scilicet ut in medio textu sine ullo externo indicio dittographia inveniatur vocabulo *alii* interposito, hanc inquam originem nondum reperi, sed vel id quod dixi indicat, hasce lectiones per tres Verrinarum libros priores minime esse spernendas. Similis est *Caecil.* § 38 lectio *commiserit. al's peccarit.* (Ldk.), quam lego *aliis*, nam ' significat *u (ii)*; ideo *alias* voluisse scribam non credo, sed *aliis* ex *alii* esse corruptum, quod lectionem satis antiquam arguat. Contra *Caecil.* § 11  
*, al in*

*iudicium de pecu. repet. est constitutum*, literae *al in* a recentissima manu sunt et nullius auctoritatis. Act. I § 28 pro *potestate* est *voluntate al' potestate* iterum in medio textu, sed illud haud dubie verum est, et est vulgatum. Ibid. § 32 pro *praetore* inepta varietas eadem ratione commemoratur itidem: *praetore al' p. R.*; porro Lib. I § 77: *Quod enim eum tibi quaestoris in loco constitueras, idcirco tibi amicum in perpetuum fore putasti?* Iordanus e negligentissime facta Burmanni collatione descripsit *fore sperasti* Ld. Immo exstat *fore sperasti. al' putasti*, neque hoc temere abiiciendum est, *sperasti*. Lectiones igitur hae Leidenses, etsi paucae eae, quas annotavi, non sane ingentis momenti sunt, tamen a futuro editore per libros Verrinarum priores tres ne negligentur, illic enim et caremus libro eo, unde Leidensis descriptus est, et hae lectiones, aliunde nondum notae, ipso illo fonte antiquiores videntur et minimum Regio codici aequales.

Iam quomodo in locum nostrum irrepere potuerit *absolutum* pro *liberatum*, participii usus sat frequentis sed hoc tamen in argumento paulo insolentioris, facilis est coniectura, nempe

ob duplicem locum sequentis § 20 alterum hunc: *is, posteaquam defensor eius consul est factus, absolvitur*. Recte quidem, *posteaquam* ille consul est factus, Verres absolvi poterat iudicio, itaque post comitia, non ipsis comitiis. Alter locus est infra: *Etenim quis poterit Verre absoluto de transferendis iudiciis recusare*. Vere, sed Verres nondum absolutus erat iudicio, etsi comitiis iam liberatus. Simili prorsus ratione in eadem § 19 peccarunt codicum deteriorum librarii, iudice Madvigio<sup>28</sup>, cum illi *arbitrabantur* repeterent pro ultimo paragraphi verbo *videbant*.

In superiore § 18 duae interpolationes sunt, quas verbo indicasse sufficiet: *Nam ut Hortensius consul designatus domum reducebatur e campo cum maxima frequentia ac multitudine, fit obviam casu ei multitudini C. Curio, quem ego hominem honoris potius quam contumeliae causa nominatum volo*. Verba ac multitudine irrepserunt propter sequentia *ei multitudini*, quod post *frequentia* Ciceronianum est sed plebeium post alterum *multitudine*. Etiam peius est illud *potius quam contumeliae*. Itane vero? Cicero aedilis designatus consularem hominem et triumphalem contumelia affecisse putatus esset, credo, ni illud excusatione cavisset. Reliquum quod dicat, se Curionem honoris causa nominare, levissima ironia, id iam multo nimium foret in unoquoque homine praeter obliviosum illum et loquacem ridiculumque Curionem, de quo tam multa tam bene narravit Cicero in *Bruto* c. 59 sqq. Legatur omnino: *Nam ut Hortensius consul designatus domum reducebatur e campo cum maxima frequentia, fit obviam casu ei multitudini C. Curio, quem ego hominem honoris causa nomino*. Iudices ceterique cum audirent Curionem nominari, riserunt opinor, ut qui dicacissimi hominis procax dicterium bene nossent; iam Tullius, ne ille risus in irrisionem verteret, honorifica appellatione iocosum consularem textit.

Lib. I § 26. *Verum, ut opinor, Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus; antea vel iudicari primo poterat vel*

---

<sup>28</sup>) De Asc. App. p. 38.

*amplius pronuntiari. Utram igitur putas legem molliorem? Opinor illam veterem, qua vel cito absolvi vel tarde condemnari licebat . . . Puta te non hac tam atroci, sed illa lege mitissima causam dicere.*

Varii varie disputarunt de ordine harum legum de repetendis secundum cuiusquam aetatem, unde forsitan nascatur dubitatio, utrum haec lex *mollior* eadem sit, quam postea *mitissimam* dicit Cicero. Quam dubitationem levissimi momenti esse nunc ideo non affirmo, quoniam id de industria demonstrare non vacat: videbit acutissimus quisque. Neque hoc nunc ago.

Codex unus inter bonos deterioresque medius, Lg. 29, exhibet *moliorem*, sed *meliorem* est G 1 2 Ldk. idemque dat Zumptius. *Meliorem* non recte habet, Verri enim optio datur eligendi legem aliquam non optimam, sed quae ipsi maxime faveret. *Mollis* autem dicitur pellis animalis cuiusdam vel cutis, dicitur torus, cubile, alia multa, lex non dicitur. Nempe *durae* legi, i. e. ei, quae tamquam duro animo est, opponitur lex non *mollis*, quae v. c. prementi digito cedat, sed ea, quae quasi animo facilis est lenisque et *mitis*. Quod ipsum nostro loco reponendum est, nempe *mitiorem*, quod in *meliorem* facili errore et etiam faciliore hinc in *moliorem* abiit, unde falsa suspicio nata est. Sequens superlativus sufficit ad rem demonstrandam, ita ut mireris et lectionem alteram a Iordano receptam esse, et annotationem hanc Kahntii p. 15, qui se proxime a vero abesse non sensit: »At lex ea, quae multo maiora »reis commoda affert quam alia iisdem atrocior, praesertim »cum, ut hoc loco fit, oratorie efferatur et de industria tam- »quam praestantior praedicetur, cur non recte *mollis* dicatur<sup>29</sup>? Infra appellatur *mitissima*.” Iudici etiam *atroci*, si hoc quaeritur, opponitur *humanus* et *mitis*, non *mollis*. Itaque suadeo ut legatur: *Utram igitur putas legem mitiorem?*

II § 4. *Denique ille ipse M. Marcellus, cuius in Sicilia vir-*

---

<sup>29)</sup> Nempe quoniam Romani non sic loquebantur.

*tutem hostes, misericordiam victi, fidem ceteri Siculi perspexerunt ctt.*

Sententia non optime habet, nulla enim est peculiaris in *Sicilia virtus*. Sed pessima fit, si credatur Marcello unice cum Siculis res fuisse; habuit enim adversarios etiam Karthaginienses, Hannonem, Bomilcarem, alios, habuit Hispanos, ut Mericum, Libyphoenices, ut Mutinem. Quod implicite Cicero negat, si fidem Marcelli eiusque virtutem et misericordiam unis Siculis perspectas dixit sive hostibus, sive victis, sive ceteris; nisi quis etiam magis aberrantem oratorem dixisse credat, Marcellum in hostes non Siculos ignave, in victos, nisi qui ex illa insula essent, crudeliter egisse. Sed in his nugis versari pudet, pudet credere Tullium eloquentiae summum artificem sic dixisse, ut ludificari a baiulo quolibet eius oratio potuerit et in absurda quaeque detorqueri. Vocabulum *Siculi* eiiciendum est. Interpolavit is, qui substantivum ad *ceteri* adderet; arguitur eo, quod Marcelli hostes tunc temporis omnes in *Sicilia* quidem fuerint sed non omnes *Siculi*. Porro mallem *cuius virtutem in Sicilia hostes*, sed neque sic omnis ambiguitas evitatur neque vel apud Ciceronem omnia anxie ad nostras aures exigenda sunt ita, ut quidquid non omnino placeat sine codicum ope temere mutemus. Cum igitur nil sit in Iordani copiis, hic ultra pergendum non erit nisi ut legamus: *cuius in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidem ceteri perspexerunt ctt.*

§ 51. *Si vero illud quoque accedit, ut in ea verba praetor iudicium det, ut vel L. Octavius Balbus iudex, homo et iuris et officii peritissimus, non possit aliter iudicare; si iudicium sit eiusmodi: L. OCTAVIUS IVDIX ESTO: SI PARET FVNDVM CAPENATEM, QVO DE AGITVR, EX IVRE QVIRITIVM P. SERVILII ESSE NEQVE IS FVNDVS Q. CATVLO RESTITVETVR: non necesse erit L. Octavio iudici cogere P. Servilium Q. Catulo fundum restituere aut condemnare eum, quem non oporteat?*

Dubium nemini esse modo dixerat Cicero, quin omnes omnium pecuniae positae sint in eorum potestate, qui iudicia dant, et eorum, qui iudicant; quin nemo possit obtinere vel ipsa bona patria, si praetor improbus det quem velit iudicem,

iudex levis iudicet id quod praetor iusserit. Nil apertius. Sequuntur, quae supra adscripsi et nunc circumscribo sic: Si praeterea idem ille praetor non iudicem tantummodo dederit bonum malumve, sed iudicium etiam iniquum, necessario optimus quisque iudex pronuntiabit ea quae iniquissima sunt. Fac a Verre datum iudicem integerrimum L. Octavium, nil iuvabit, dedit enim idem iudicii verba haecce: si paret, fundum quo de agitur ex iure Quiritium P. Servilii esse, is fundus P. Servilio abiudicetur. Paret, e iure Quiritium P. Servilii esse fundum, iudice integerrimo L. Octavio. Itaque idem Octavius ex iudicii verbis fundum eidem Servilio coactus abiudicat: quae par est iniquitas ac si condemnasset hominem innocentem.

Planum est, oratorem et voluisse ea quae dixi, et tamen aliter dedisse, si superiora sana sint. At non sunt. Quid enim sibi vult illud: *si paret neque restituetur?* Cicero, credo, praesentia futuris inepte miscens posuit insuper protasin apodosi carentem. Sed in re plana disputare pluribus non lubet. Lege: *si paret fundum Capenatem, quo de agitur, ex iure Quiritium P. Servilii esse, is fundus Q. Catulo restituetur.* Hoc demum iniquum est, hoc probe Verrinum. Quod ex iure Quiritium Servilii est, tu iudex id Catulo da, immo restitue scilicet. Haec demum iudicii verba sunt talia, quibus vel integerrimus iudex cogatur id facere, quod idem est atque condemnare eum quem non oporteat.

Dum *restituetur* scribo pro indicativo futuri, non immemor fui moniti eius, quod apud Madvigium<sup>50</sup> est: »abhor-»reo . . ab huius modi coniecturis, ubi nominum verborum-»que, praesertim plurium, terminationes casuum, temporum,»modorum nullis omnino codd. vestigiis suspectae mutantur.»Mihi enim huius modi quidem res inito consilio plane ad»suum arbitrium librarii rarissime mutasse videntur, si a re-»centissimis Italis discesseris, certe vestigia quaedam semper»fere supersunt: itaque quoties ex dativo accusativus, ex im-»perfecto coniunctivi indicativi idem tempus coniectando effici-

---

<sup>50</sup>) Ep. ad Or. p. 27.

»tur, aegre assensus mihi extorquetur, nisi ut dixi, vestigia »quaedam codicum eo ducunt.” Et ego ab huius modi coniecturis abhorreo et Madvigium modo non serviliter sequi soleo et suspicere, sed haec universe vera sunt ita, ut interdum tamen contraria possint obtinere. Porro optimus codex Lg. 42 p. m. omittit verba *quo de agitur*, quod et tenendum erit neque ultra nunc indagabo.

§ 136. *Itaque in Sicilia non Athenionem, qui nullum oppidum cepit, sed Timarchidem fugitivum omnibus oppidis per triennium scitote regnasse.*

Fieri potest ut nullum oppidum proprie ceperit Athenio, etsi fugitivi Triocalam v. c. vel adversus oppugnantes Romanos tenuerunt, duce Tryphone rege, quem dicebant; maximum enim fugitivorum adminiculum montes erant campique aperti. At fac ita fuisse, quam frigidus Cicero, qui illud urgeret!

Cicero plus semel ita rem convertit, ut in comparatione duarum rerum similium quas pares esse contendit ea epitheta alteri expresse tribuat quae unusquisque vel tacita cogitatione alterius propria esse significat vel intelligit. Eius modi autem res melius quam per circumlocutiones perspiciuntur exemplis quale hoc est, V § 70: *ad Centuripinos, homines maxime mediterraneos, summos aratores, qui nomen numquam timuissent maritimi praedonis, unum te praetore horruissent Apronium, terrestrem archipiratam.* Bis in eodem loco Cicero fecit id quod dixi, nempe et Apronius in frumento praedatus erat, et Graeci, homines maritimi, suum vocabulum *pirata* de maritimis proprie praedonibus formarunt, dum Romani illos longe prius cognitos habuerunt, qui terra praedarentur, quod vel ipsi facere solebant antiquitus. *Terrestris igitur archipirata* est id quod volo, item *archipiratae* epitheton Apronio inditum; etsi non venit in mentem addubitare, quin piratas significaturus Tullius utroque vocabulo promiscue utatur. Minus liquidum idem est nec tamen obscurum in iisdem vocabulis Lib. I § 134: *Quaerimus etiam . . . qualis in bello praedonum praedo ipse fuerit, qui in foro populi Romani pirata nefarius reperiatur.* Simillimi generis hic locus est. Comparatur Timarchides cum Athenione fugiti-



vorum rege, sed ipsum illud tertium comparationis Timarchidi tamquam epitheton additur cum Athenioni proprium sit, quo acrius Verris assecla pungatur.

Sed frustra haec omnia dicta essent ut demonstrarent id cui nemo obloquitur, nempe *fugitivum* recte a Cicerone factum esse Timarchidis epitheton minime ornans pro Athenionis praedicato necessario, aut quod eodem redit, quod Timarchides, non *rex* Athenio, omnibus oppidis *regnasse* dicatur. At idem ultra persequendum est legendo: *Itaque in Sicilia non Athenionem, sed qui nullum oppidum cepit, Timarchidem fugitivum omnibus oppidis per triennium scitote regnasse.* Id enim Cicero curabat scilicet, quot oppida cepisset Athenio, et an forte nulla cepisset. Ille autem ceperit perinde est necne, haud dubie vel sic »terruiit urbes.» Neque igitur mirum est, summum fortissimumque imperatorem oppida Siciliae sub ditione tenuisse Athenionem illum, cui praeter honestos natales nil ad laudem et honorem defuit; at Timarchidem hominem fugitivo vel peiorem, aperta vi nulla adiutum, omnibus Siciliae oppidis regnasse, id Verre praetore mirum quidem non erat, sed etiam isto praetore indignandum. Accedit, quod ictus gravior in Timarchidis nomen cadat, si et *sed* longius antecedit et hoc nomen per cetera superiora iam aliquamdiu subobscurum significatum fuerit. Coniunctionem autem transposuit is, qui eam ante relativum pronomen non ferens necessario excipi a substantivo credebat. In codicum lectionibus praesidii nihil est.

V § 113. *Deinde etiam illud video esse dictum, quod, si recte vos populus Romanus cognovit, non falso ille Furius Heracliensis navarchus de vobis iam in morte ipsa praedicavit: Non posse Verrem testes interficiendo nos extinguere ctt.*

Immo nimium poterat, et sensit idem ille miser Furius. Quod viri docti viderunt, in codicibus autem praesidii quidquam est, nempe *nos* habent R G 2 Ldk., *vos* e coniectura, ut opinor, G 1. Nubes igitur suspicionum locum invasit, quas eo ordine excitabo iisque fere verbis, quibus habet Iordanus: *vos* de ci. Madv. Ep. ad Or. p. 43; *criminum vocem*

ci. Bake Bibl. Crit. N. p. 46, *noxas* Orelli<sup>51</sup>, *voces* ci. Madv. Op. I. p. 370; *eos* Halm (ubi?); delet *nos* Wesenberg; *crimina sua* dett. O. Addo *voces* post Madvigium ab Halmio receptum esse in Weidmannianam 1855, *vos* e G 1 esse in Teubneriana Klotzii, *crimina sua* e dett. O. apud Zumptium.

Nulla ex his lectio placet. Codicum *nos* emendandum est, et sic emendandum: *Non posse Verrem testes interficiendo ius extinguere.*

Doctorum annotationes excerptam aliquot. Madvigius<sup>52</sup> multa quae vel adversus obsoletum *crimina sua* valent vel denuo ab ipso sunt eversa, in iis autem haec: »mansuros dicit iudices, »qui vel interfectos testes audiant et ulciscantur.” Et hoc sane verum, etiam interfectis testibus aliquid e mente Ciceronis tamen mansurum esse, quod navarchorum iniurias illas foedissimas ulciscatur. »Verum” auctore Bakio in censura<sup>53</sup> »mansuros iudices, non praeclara profecto divinatio: et quid »hi poterant e testibus audire, his interfectis? Praeterea *vos*” quod coniecerat, Madvigius »i. e. ipsos illos iudices qui nunc »sedebant, quomodo cogitare poterat Furius? . . . Hoc dicit, »testes eum” Verrem »interficere posse, *criminum vocem extinguere* non posse: et sic legendum.” Nil memoratu dignum Zumptius, quem Madvigius posteriore loco<sup>54</sup> verbo sed satis redarguit una cum Orellii coniectura *noxas*. Idem priore sententia sua recte abiecta ibidem e *nos* vel *vos* confecit *voces*, cui suspicioni et ipse adscripsit: »est tamen coniectura ex earum »genere, ad quas confirmandas non ita plura occurrunt, ut con- »fidere possis,” et in vocabulis *non posse Verrem testes interficiendo voces extinguere* pronomen *eorum* desidero, sed vel eo adiecto locus languebit nec probanda erit oppositio inter *testes* et *voces*.

Vocabulum *ius* cum *extinguendi* verbo recte iungi ex analogis apparebit permultis. Lib. I § 48<sup>55</sup> idem verbum de re-

<sup>51</sup>) Weidm. 1831.

<sup>52</sup>) Ep. ad Or. p. 43.

<sup>53</sup>) Bibl. Crit. N. V. t. p. 45 sq.

<sup>54</sup>) Op. Acad. I. p. 370 sqq.

<sup>55</sup>) Nempe capite 18. Debebat igitur in Facciolati lexico (Lipsiae, Kollmann

*ligione* ponitur, II § 52 de Syracusanis, IV § 119 de *pulchritudine*. Plura exempla, immo plurima, maius unumquodque lexicon suppedabit. Ipsum vocabulum *ius* sic iunctum non novi nisi semel, apud Modestinum *Dig. XX. vi. 9*<sup>35</sup>: *quaero, an venditione interposita ius pignoris extinctum sit.*

*Ius* sic nude positum, ut nos solemus, apud Ciceronem sat frequens est. Lib. I § 136 legitur: *apud quem non ius, non aequitas, non misericordia . . . valeret*; IV § 146 *senatores clamare sibi eripi ius, eripi libertatem; pro Caecin. § 2 (vis) contra ius moremque facta*; *Phil. II § 72 ius postulabas*; itemque apud Terentium est *Heaut. IV. i. 29*:

*qui neque ius neque bonum neque aequum sciunt.*

Quomodo autem *nos* in *ius* abierit, non ego dixerim, sentio enim et vocabuli IOVS ductus a NOS proxime abesse nec tamen hoc sufficere ut confusionem hinc natam credamus. Vos in G 1 pro correctione habeo eius, qui *nos* dici non posse intelligeret et iudices scilicet significare vellet.

### III.

Dum versarem codicem Leidensem, cupiditas incessit cognoscendi, qualis ipsi locus assignandus sit in stemmate codicum Ciceronis. Neque hoc adeo difficile erat. Operis enim bonam partem Halmius Iordanusque absolverant, a quorum utroque unam sententiam describam, quae quam vera sit, usus libri per aliquod temporis spatium continuatus docuit. Sic igitur Iordanus p. 103 eius operis, quod soleo laudare: »cum »ex eodem fonte, quo G 1, 2, deductus sit” codex Leidensis, »denuo eum conferre non erat operae pretium.” In eodem opere p. 324 Halmius scripsit: »codd. G 1, 2 Ld. et λ, ut mihi »quidem persuasum est, ex nullo alio codice nisi ex ipso Regio »originem duxerunt.”

Equidem Iordano assentior, ita tamen ut credam eum, qui codice inter legendum utatur, et alios inde fructus percipere et

---

1839) locus laudari I. 18, non III. 18, ut recte in vetere editione Nizolii, sed ex eius computatione nunc obsoleta. Idem Facciolati opus male adducit Modestini locum tamquam *Dig. XX. i. 9*.



sim, errorem etiam in peius auxit, habet enim *praxitebe*. Idem recurrit § 12 de Regio, idem de deterioribus. At hic *Praxiteli* Regii non est correctum, et conspirant G 2 Ld.; solus prior Guelferbytanus *Praxitele* habet, et arguit, opinor, eum, qui supra Regii lectionem mutarat. Etiam luculentius est, quod § 27 accidit, ubi legimus: *Quid? illa Attalica tota Sicilia nominata ab eodem Heio [peripetasmata] emere oblitus es?* Ex his vocabulum *Attalica* in Regio mire corruptum legitur sic: *ad italica*; id Guelferbytanus prior immutatum servat, sed partibus fere mutatis G 2 Ld. scripturam etiam peius depravatam habent, *ad Italiam*, ut Iordanus de utroque refert; si accuratius etiam quaeris *ad ytaliā* id ipsum est, quod Leidensis habet, sed idem hoc valet atque illud. Minoris momenti est, quod pro *tuam causam* § 28 sit *tui causam* R G 1, *cui causam* G 2 Ld., sed quattuor hi libri eiusdem esse familiae esse ostendunt § 55, ubi omnes vocabula *quod verbo* — *quanti emeris* omittunt. Scribae oculi a superiore *quanti emeris* ad illud alterum aberrarunt ita, ut intermedia non scriberet et illud ipsum non nisi semel. Fit hoc facillime: at qui idem hoc in eodem loco et ratione eadem quattuor scribis accidisse putet, nimia tribueret casui; equidem suspicor id accidisse illi qui Regium scriberet, ex quo deinde libro error propagatus est. Idem § 39 in verbis *Diodorus* — *illud argentum* propter superius *argentum* accidit, non utrique scribae codicum G 2 Ld., si me audias, sed ei, qui communem eorum codicum archetypum exaravit. At R G 1 ctt., de quibus Iordanus de more tacet, eandem periodum repraesentare censendi sunt.

Habemus igitur eiusdem quasi domus libros G 2 Ld. in ea familia, quam cum R G 1 efficiunt, cuiusque principem suspicari licet Regium esse. Et est, uti iam § 46 demonstrat, ubi in loco incerto *peraeque pro portione* Iordanus scripsit, auctore Turnebo et fortasse recte; Regius habet *per ea quae proportione* et saepissime *quae pro que* exhibet; G 3 autem *per eaque proportione*, quod vel intelligi nequit unde ortum sit, nisi ex Regii lectione. Locum plene adscribere nil attinet. At Regius haud dubie archetypus esse iudicabitur collata § 50: *Dionysiarchum ad se proagorum, hoc est summum magistratum, vocari iubet*: ibi *proagorum* in Regio est, sed media r

expuncta, unde veram lectionem etiam alibi servatam G 1 habet, sed G 2 Ld. sine ullo sensu *pro agrorum*. Paulo minus elucet at satis perspicuum est idem § 42: *intellegerunt isti (Verri) virum fortem, quem summe provincia (Sicilia) expectabat, Q. Arrium, non succedere*. Leviter depravata est Regii lectio: *uerum fortem, quem summae provinciae expectabit*, unde manifesto pendentibus G 1 2 habent *provinciae expectabant*, quibus adde e Leidensi *provinciae expectabant*.

Nondum satis demonstravi, etiam G 1 ex R derivatum esse. Apparet hoc tum aliquatenus ex ultimis, quae adduxi, sed praesertim ex § 53, ubi *Recita Archagathi et Lentuli testimonium* Iordanus habet, fortasse recte; ceteri codices noti a nostris quattuor valde discrepant, hi autem habent *R. Archagathi* (immo *R. Archagati* Ldk.) praeter unum G 1, qui sine sensu exhibet *Romae Archagathi*, ita ut planum fiat, et hoc ex *R. Archagathi* fluxisse, quod ut vidimus in Regio legitur, et lectionem codicum G 2 Ld. non ex G 1 derivatam esse, cum *R.* compendium non soleat *Romae* significare. At G 1 non ex G 2 vel Ld. originem cepit, non enim potuisset v. c. *proagorum* ex *pro agrorum* sumere, aut *ad italica* ex *ad Italiam*; in ceteris codicibus neque *R.* neque *Recita* est neque *Romae* vel simile quidquam, ita ut res pro confecta habeatur<sup>57</sup>. In iis libris, ubi deficiente Regio habemus tamen G 1 2 Ld., in Divinatione dico et Actione priore cum paragraphis Libri primi paulo plus centum, idem valet, nempe G 2 Ld. adversus G 1 conspirare solent etiam magis quam e Iordani lectionibus apparet; ille scilicet unice nitebatur P. Burmanni collatione negligenter facta, quales tunc fieri solebant. Margines sive codices Stephani et Lambini hic quoque cum G 2 Ld. facere solent. Adscribam locos aliquot pro hac opinione facientes, sed quoniam hanc rem non de industria persequor, nunc non ago de exiguo, qui est, parvarum discrepantiarum numero, ne modus huius libelli eorum explicatione nimium crescat, in re non sat magni momenti. *Caecil.* § 5 *videor* habent Iordanus G 1 alii; *video me* G 2 D (Paris. 7825) ε λ, item Ldk.; § 10 altero loco *mi-*

<sup>57</sup>) Ultra nunc nil annoto, dum careo libellis iis, de quibus dixi in Introductione, supra p. 420, ann. 9 et 10.

*nime velit* recte Iordanus G 1 Pall. al.; *maxime velit* e superioribus male repetitum G 2 Ldk.  $\zeta$  C(uiacianus) cdd. Lambini (Memmiani); § 12 *dicis* Iordanus G 2 D  $\zeta$   $\lambda$  Lg. 29, item Ldk., in quo non est *dicit*; contra *dices* G 1 dt. Orellius. Interpolatio *petissent a me praesidium*<sup>38</sup> pro simplici *petissent* Iordani G 2 Ldk.  $\zeta$  est G 1 dt. O. — Iordanus § 27 *tempus discendi* recepit e G 1 D St. al., sed *dicendi tempus* est G 2 Ldk.; eiusdem generis plura sunt, sed haec luculentissima: § 46 *deonerare* Iordanus habet, ut Ldk. et levi corruptela *dehonerare* G 2; in G 1 est *dehonorare*. Act. I § 10 Iordanus habet *convictam*, fortasse recte, e  $\zeta$ ? dt., *coniunctam* est G 2 C D al. Ldk., dum G 1 habeat *communitam*. Erroris communis fons est varia lectio *couictam* et *cowitam* (*9uictam* et *9uītam*), si reputamus tres tractus *ui* aliter legi posse facillime, si Gothice efferuntur; ex priore lectione natum est *9iūctam* Ldk. i. e. *coniunctam*, quod haud dubie in ceteris G 2 C D al. non multum differt, et *9uictam* i. e. *convictam*  $\zeta$ ? dt.: ex altera *9uītam* i. e. *comunitam*, unde *communitam* G 1.

Ostendi verbo, codices G 2 Ld. e Regio esse derivatos, ut indidem G 1, sed eosdem non ex ipso G 1 fluxisse. G 2 Ld. igitur coniuncti testem efficiunt unum, cuius auctoritas non multo minor esse debeat quam prioris Guelferbytani. Quod Zumptium non satis tenuisse abunde ostendit Madvigius<sup>39</sup>, verum nunc neque hoc ago neque id, futurum editorem Cicero- nis aequae diligentem, atque Iordanus est, haud dubie usurum fore accurata quadam collatione Leidensis libri per Divinationem, Actionem priorem primumque librum Accusationis; nempe in his orationibus Leidensis codex ordine tertius est bonorum eiusque archetypus quoad scimus perit. At praeter editorem diligentem et religiosum unusquisque oleam et operam in hac collatione conficienda perderet, nempe codex hic, etsi e bono fonte derivatus, scriptus est a librario ignorantissimo nec fere quidquam alicuius momenti exhibet. Docuit me comparatio sat accurata codicis cum Iordani editione per Divi-

<sup>38</sup>) Madv. Op. I. p. 339 sq.

<sup>39</sup>) Ep. ad Or.

nationem et Actionem primam, lectio deinde libri primi e codice simul et ex editione quam dixi.

Alia res est, ubi G 2 Ld. habent ea quibus caret G 1. Id autem quod scio praecipue in ea parte libri primi locum habet, ubi tres illi codices boni abrupte desinunt, G 1 in § 105, G 2 Ld. Stephanique codex in § 111. Per septem igitur §§ testes non habemus nisi duos tresve et ex his unum hunc Leidensem. Iam quod contendo hoc est. Collatio Leidensis si qua esset per Divinationem, Actionem priorem et Libri primi §§ 105 priores, ea ut editori necessaria<sup>40</sup>, sic ceteris fere inutilis foret. Lectionum Leidensium momentum longe maius est per §§ hasce septem, et vel sic tamen perexiguum, neque ego has lectiones publici iuris facerem nisi et speciminis causa, et quia eum oportet, qui Leidensibus copiis utatur, id quoque pro virili parte curare, ut earum usus quam facillimus fiat philologis eius modi, cuius ii sunt qui Orellii Ciceronem repetierunt. Ad has igitur septem §§ adscribo lectiones Leidenses Iordano non memoratas nec tamen omnino futiles hasce:

- § 105. *vendibilis* IORD.] *vendibili singulari]* *singularis* V. 8 dtt. IORD. Item Ldk.  
*malebat]* In hoc vocabulo desinit G 1, in quo verba inde ab: *secundum filiam* alia manu sunt adscripta. IORD.
106. *saepe appellati pernegaverunt]* om(isit) Ldk.  
*liberis]* *a liberis*  
 INTELLIGAM] *intelligebam*  
*ideo]* *ita*  
*ad Chelidonis arbitrium]* *a celidonis arbitri* ante spatium vacuum  
*obviam ire]* *obuiā renius* r non prorsus certum est.  
*potius non modo his]* *pocius non pocius hijs*  
*praetoris]* P. R. V, om. ctt. O. IORD. om. Ldk.  
*Recita]* *recita* V, om. ctt. O. IORD. om. Ldk.

<sup>40</sup>) Iordanus cum haec negaret, l. l. p. 103, non novit vel non attendit codicis filiationem eam, quae est in stemmate quod supra posui p. 453.



107. *reprehendi*] *reprehendi* om. (praeter V) ctt. O. IORD.  
om. Ldk.  
*Imitatus esses*] *imitatus om̄s* in marg. m. rec. sub-  
inde occurrens atramento evanido adscripsit »*ees*  
*pro os*  
*Voconium*] *Voconium* V: C. Voc. ctt. Prisc. IORD.  
C. *voconiū*
108. *tam*] *tam* V: om. ctt. AO. IORD. om. Ldk.  
*magno opere*] *magnopere*  
*in his ipsis*] *his* om. Ldk.  
*sancta*] *facta*
109. *instituit*] *instituit* G 2 & V; *instituerit* Prisc. IORD.  
*instituit* antecedente *id* pro *quid*.  
*patietur?* *Cedo*] *patitur. credo*  
*Furias, Fū̄sias*] *Fusias* G 2; *nufias* V; *Sufias* Lg. 29  
IORD., qui de priore vocabulo tacet. In Ldk. est  
*furias fusias*.  
(Q. p. t.) *edicto*] *adiecto*  
*annuam*] *aiam* i. e. *animam*  
*amplecteris*] etiam Ldk.
110. *Ac*] *At*  
*edixisses*] *dixisses*  
*QUI HEREDEM*] *si quis heredem*  
*legarit*] *leget* G 2, *legaverit* Lg. 42. IORD. *lega.* ante  
spatium vacuum.  
*quod per*] *Quid per*  
*iuris*] *iuris* V: *generis* ctt. IORD. *generis*  
*amplecteris*] Recte Iordanus de Ld.  
*iure*] Recte Iordanus de Ld., qui quod in annota-  
tione suasit, *etsi* ante *minus* esse inserendum,  
vellem in textu ipse fecisset.  
*tum vituperari*] *cum vituperari*  
*in discrimen*] *in dubium* etiam Ldk.  
*quivis*] *quis*.  
*P. Annii secundis*] Cf. § 104. 115. Lib. II § 21.  
*p. cuiuscecūdi*. Tractus quattuor post primum *c*  
videntur esse *ui*, sed possunt item *im*, *un*, ctt,

et totum hoc *cuuscecz̄di* nuperrime corruptum est  
ex *aniscecz̄di*

111. *abs te]* a te etiam Ldk.

*prooemio]* *prohemio*

*ecquis]* et *quis* V. Lg. 29 al. IORD. ut *quis* Solent  
Verrinarum codices in hoc vocabulo peccare.

*praetor]* p. ante spatium vacuum; in marg. *pr.* cum  
sigla quadam notavit m. rec., de qua v. supra.

*idem illud]* *idem illud* G 2 Lg. 29 V: *illud idem*  
dt. IORD. *idem illud*

*illud ediceret]* *illud edine quis ediceret.* Oculi scribae  
aberrarunt ad id, quod etiam in cod. sequens  
vs. habet.

*multi in isdem causis fuerunt]* Item V, *multi testa-*  
*menta eodem modo fecerunt* ctt. IORD. In ceteris  
est etiam Ldk.

*Annaea]* *Annaea* G 2 ε: *Anaea* V. IORD. *antea*

*singulari]* In hoc vocabulo desinunt codd. G 2 Ld.,  
neque ex ε postea variae lectiones commemoran-  
tur. IORD.

Codicem hunc Leidensem Verrinarum Halmius<sup>41</sup> codicibus Belgicis quos excitat adiungit, et praeterea codicem quemdam Leidensem nominat<sup>42</sup>, ex quo libro Bakius Orellio misit collationes orationum pro Ligario et pro Deiotaro. »Nobis tamen» inquit Halmius in nova harum orationum recensione hic co- »dex negligendus erit, quoniam ad eas tres codices eiusdem »familiae Leidensi praestantiores (Bruxellensem num. 5345, »Erfurtensem, Gudianum 2) accurate collatos habemus.»

Uterque codex idem mihi videtur. Nempe in illo leguntur ante Verrinarum libros quinque, i. e. tres primos ultimosque duos, etiam Sallustii Catilina, Iugurtha, et Ciceronis orationes decem, quorum inscriptiones adscribo eodem ordine easdem, quas codex exhibet.

<sup>41</sup>) Zur Handschriftenkunde der Ciceronischen Schriften, p. 15.

<sup>42</sup>) L. l. in ann.

»In senatu antequam pelleretur in exilium” (Ciceroni tribuit ipse codex).

»cur senatui gras egit.”

»Cui . s . populo gras egit ” (Ciceroni tribuit ipse codex).

»pro M. Celio.”

»In vatinum.”

»pro M. marcello ” (Ciceroni tribuit ipse codex).

»pro Quinto legario.”

»pro Rege Deiotaro.”

»In senatu de prouincijs consularibus.”

»pro Responsis Aruspicum et cetera ” (praemittitur *eiusdem*).

Orationes tres *Caesarianae* quae dicuntur in margine adscripta habent scholia quaedam, inedita quod scio, rhetorici argumenti momentique aut nullius aut perparvi. Sed hunc librum nisi in orationibus pro Ligario et Deiotaro omnino ignorasse videntur qui Orellii opus continuarunt, Halmius Baiterusque. Inspexi igitur hunc codicem, ut certior fierem, an forte aliquid novi exhiberet. At mox apparuit, eum totum esse descriptum ex Gemblacensi codice, qui nunc Bruxellensis 5345 est, quem contulit Baiterus, quemque apud hunc et Halmium in editione Orelliana altera indicat sigla G, nisi quod in oratione pro rege Deiotaro sigla B obtineat. Ille codex orationes continet decem eas, quas supra enumeravi, et alias tres, indicante Halmio<sup>43</sup>, nempe »in Clodium [i. e. or. pro »domo sua]” et »pro Sestio” inter Caelianam et Vatinianam insertas habet, dein inter Vatinianam et orationem pro Marcello »pro Cornelio Balbo et Pompeio.” Codex Gemblacensis correctus est.

Iam quod aio hoc est, codicem Leidensem etiam porro negligendum esse, quoniam vel ipse vel eius archetypus e Gemblacensi post huius libri correctionem descriptus est.

Id autem sic demonstro. Lectiones quas G *solus* habet, eadem omnia in Ld. inveniuntur per orationum partes has:

---

<sup>43</sup>) L. I. p. 14. Ceterae orationum inscriptiones Leidensibus quam simillimae sunt.

Decl. <i>pridie quam in exs. iret</i> per §§ priores	10.
Or. <i>cum senatui gratias egit</i> . . . . .	» 12.
» » <i>populo</i> » » . . . . .	» 5.
» <i>de Har. Resp.</i> . . . . .	» 11.
» <i>pro Caelio</i> . . . . .	11—17.
» <i>de Prov. Cons.</i> . . . . .	priores 5.
» <i>pro Marcello</i> . . . . .	» 11.
» » <i>Ligario</i> . . . . .	» 6.
» » <i>Deiotaro</i> . . . . .	7—11.

Excipiuntur orthographica quaedam et pauca in peius discrepantiae. Paginarum quoque transpositio in archetypo quodam effecit, ut in Caeliana utriusque codicis folia eodem modo turbata sint; transponuntur scilicet §§ 18—27 post §§ 27—36. Paucissima, neque ea magni momenti, in iis verbis discrepant, quae ante locum erroris postrema sunt postve eum prima. Cuius rei originem explicatu facillimam fore censeo, sicubi alicunde is codex apparebit in quo error ortus est, nec sine eo nisi collationum defectu difficilem, non tamen nunc scribenti satis expedita mihi explicatio in promptu est, aut ipsa res longiore vel expositione digna vel indagatione.

Praeterea lectiones Gemblacensis libri correcti in Leidensi repraesentari solent vel integrae, vel quod maioris momenti est, etiam magis corruptae. Annoto aliquot lectiones, quas praeter Leidensem nusquam nisi in Gemblacensis secunda manu quis inveniatur. Sic *Cael.* VIII. 19 *quo*, omisso *te* vel *iste*, unice est in G<sup>2</sup> Ldk., IX. 20 pro *isdem* est *iisdem* G<sup>2</sup>, *hijsdem* Ldk., XI. 25 *et qui* G<sup>2</sup> Ldk. pro *ut qui*; porro *de Har. Resp.* III. 6. *accepi* G<sup>2</sup> Ldk. pro *accedit*, ubi *accepit* G<sup>1</sup> E; *Marc.* VIII. 23 *impetum* G<sup>2</sup> Ldk. pro *impetu*.

Sed ad luculentiora transeo, ut simul et appareat, secundae manus lectiones, quae in Gemblacensi sunt, a scriba Leidensis nonnumquam vel in peius depravari, et alterum hoc, primam etiam manum ab hoc scriba lectam fuisse. *Cum Sen. gr. eg.* V. 12 legitur *cincinnatus*, pro quo Gemblacensis corrupte: *incincinnatus*; peius etiam Leidensis scripsit *inconcionatus*. *De Prov. Cons.* III. 6 verba *ad iustum odium* sic corrupta sunt:

*ad ustum odium* G<sup>2</sup>; quae Leidensis scriba emendavit scilicet scripsitque: *ad usum odium*. Ibid. V. 11 proba lectio *inscitia* est in G<sup>2</sup>, at Leidensi propria est corruptela *iusticia*, quae manifesto hinc fluxit, non aliunde neque ex varia lectione *inscientia*, quae etiam in G<sup>1</sup> est. *Cael.* XXII. 53 *credendam* et alibi est et in G<sup>2</sup>; vera lectio *credendum* praeter alios in G<sup>1</sup> Ldk. reperitur. Ibid. XXIX. 68 pro vera lectione *fecisse dicatur*, quam G<sup>2</sup> cum aliis communem habet, in E G<sup>1</sup> Ldk. est *fecisse videatur*. Denique, quod pro omnibus esse potest, *de Prov. Cons.* IX. 22 G<sup>1</sup> habet cum aliis *desiderat* pro vero *assideret*; unice G<sup>2</sup> exhibet *desideret*: utrumque coniungit solitaria Leidensis lectio *desideraret*. Scriba ob oculos habebat, ut opinor,

re

*desiderat*.

Iam recentem et negligentissimum librarium, qui charta vulgari usus est et errores commisit innumeros, ut hunc Leidensem fecisse constat, scimus codicis Gemblacensis primam secundamque scripturam repraesentare, scimus eundem solitarias ceteroquin lectiones cum Gemblacensi communes habere permutas, item unam et alteram sic ut Leidensis lectio depravior sit. Acta agerem, si non Gemblacensem librum ex Leidensi fluxisse contenderem sed hunc ex illo, et vel haec argumentatio supervacua esset, quae demonstraret, nullum librum praeter hunc Gemblacensem scribae Leidensi ad manus fuisse. Etsi igitur Halmius Baiterusque codice Leidensi nisi ad Verriñas non sint usi, nil damni fecit splendidus apparatus, quo Ciceronem Orellianum ornarunt.

ADDENDA. Scripta haec erant cum obiter inspicere mihi licuit codicem Bruxellensem 5345, sive Gemblacensem editionis Orellianae repetitae. Qui inspectus docere videbatur, collationem eam, quae Halmio ad manum fuit haud ita accuratam esse. Id sic apparebit ut lectiones Gemblacenses paucas secundum Orellianam repetitam, cum iisdem lectionibus componam, ut nuperrime ex codice eas annotavi, adhibita hac ipsa Orelliana editione. In oratione de Provinciis consularibus igitur habet Gemblacensis:

- Secundum Orellianam Ex mea lectione :
- Cap. II. § 4. *thraciis*] *thracus* (i. e. *thracus* vel *thraciis*)
- III. 6. *ad \* ustum* G<sup>2</sup>] *ad — ustū*. Inter *d* et *u* erasum *i* etiamnunc apparet. Systole a m. recentiore est.
- V. 10. *nato* G<sup>1</sup>; *nato* Ab ead. m., ut videtur.
11. *inscitia* G<sup>2</sup>; *inscientia* G<sup>1</sup>] *inscit ia* Litterae *ae* erasae sunt de industria inter *t* et ultimum *i*. Litterae *t* tractus transversus ab altera manu est, ipsa littera pristina neque *t* neque *e* fuisse videtur
- VI. 14. *hominum* G<sup>1</sup> (pro *homini*)] *homini*. Post *i* litteram erasa est littera una, quae omnino *s* fuisse videtur, non *im* neque *z*
- VII. 17. *provincias* G<sup>1</sup>] *provincias* sine ulla correctione
- VIII. 17. *succedetur* G<sup>2</sup>; *succeditur* G<sup>1</sup>] *succedit* Attamen tractus quidam calami est unde nasci potuit opinio *i* in *e* esse mutatum.
- XI. 27. *dis* G<sup>1</sup>] *dis* sed *i* supra scriptum est ab ead. m., ut videtur.

Idem codex in loco quem supra ultimum adduxi exhibet non prorsus quidem id quod suspicatus sum sed simillimum tamen

hoc: *desiderat*. In Caeliana, ubi foliorum transpositionem olim locum habuisse modo dicebam, unde confusio in Leidensi Gemblacensique simillima orta sit, hae lectiones ex utraque codice accedant copiis Orellianis:

Gemblacensis folio 17 recte haec habet:

*adtēpus ei mendaciūm ūrm comendatis.† qui rē  
vuerit, qui ungenta sūpserit, qui baias uiderit.*

† fortasse a 2 m. est. Verba autem priora usque ad *commendatis* e § 17 sunt, porro ex § 27.

Folio autem 18 verso haec sunt:

*qui te amat plurimū, qui propter nescio quā timiditatē et  
nocturnos metus. — Reprehendistis a patre qđ semigrarit;*

quae ex § 36 desumpta sunt et in codice proxime antecedunt paragraphum 18.

Verba autem *uestrum qui rem inierit qui unguenta* non sunt in Gemblacensi, quod annoto ne quis hoc ex annotatione Orelliani ad Cael. VII. 17 conficiat.

Porro Leidensis codex priore loco habet:

*ad ip̄us ei mendaciū vr̄m commendatis. qui rem inierit  
qui unguēta sūpserit qui baras viderit*

et altero:

*qui te amat pl̄imū qui propter nescio quā timi*

*ditatem et noctnos metus rephendistis a pr̄e qd' se migret*

Nil igitur necesse est, ut indagemus quomodo annotationes in Orelliana huc pertinentes explicandae sint, non omnino perspicuae ceteroquin. Quod fieri facile potest, nempe ut de tanta codicum multitudine referens editor dum brevis esse laborat, obscurus fiat hic vel illic, iis praesertim, qui de singulari quodam manuscripto quaerunt. At hic, ut dixi, nulla ulteriore anquisitione opus est, loci enim utriusque codicis, quos supra apposui, ostendunt Leidensem cum Gemblacensi hic ut alibi conspirare ea ratione, quam supra explicavi, ita ut rursus appareat, librum Leidensem sive eius archetypum ex ipso Gemblacensi fluxisse, dum teneamus aliunde constare id ex correcto demum libro habuisse locum.

D., 29 Sept. 1856.

E. J. K.

---

Emendatur XENOPHON. Anab. VI. 5. 17.

XENOPHON in oratione quadam ad milites ἐγὼ γούν, inquit, ἠδίου ἂν σὺν ἡμίσεσιν ἐποίμην ἢ σὺν διπλασίοις ἀποχωροίην. Καὶ τούτους οἶδ' ὅτι ἐπιόντων μὲν ἡμῶν οὐδ' ὑμεῖς ἐλπίζετε αὐτοὺς δέξασθαι (leg. δέξεσθαι) ἡμᾶς, ἀπιόντων δὲ πάντες ἠπισάμεθα ὅτι τολμήσουσιν ἐφέπεσθαι. Verum ἔπεσθαι et ἀποχωρεῖν non recte inter se opponuntur. Requiritur vocabulum quod significet *agredi*. Quae sequuntur probare videntur scribi debere ἐπιολίην.

Harlemi 29 Sept. 1856.

S. A. N.